ejecerunt. Illi fugati, ad patruum Nicolaum, qui Par-
A chim incolebat oppidum, se contulerunt, multa questi
in fratrueles suos Magnopolitanos, purgationem impositi
criminis attulerunt. Nec defuit illis Albertus dux Saxo-
niæ, cùm innoxios crederet. Acie congressi an. 1294.
magna clade Magnopolenses affecere. *Crantz. lib.7. Vand.*
*c.* 43.

Manfredus Friderici II. Imp. naturalis filius, & ab eo Ta-
rentini principatus honore decoratus (quemadmodum à
nonnullis traditum est) pulvino senem, ægrumque patrem
oppressit, dum Panormum proficisceretur, & 32. annis impe-
rasset, ut Neapolitanum regnum, sicuti fecit, occuparet. *Ful-*
*gos. lib.9. c.*11.

Actius III. Estensis, ut paternas opes, ac principatum occu-
paret, Opizum II, patrem in lecto jacentem oppressit: deinde
fratres pepulit, ut filio Fisco, qui naturalis tantùm erat, prin-
cipatum relinqueret. *Fulg. lib.9. c.* 11.

Guillelmus Jacobini Carrariensis Patavinorum princi-
pis filius patrem occidit, quòd ab eo spurius fuisset appel-
latus.

Azo Estensis Marchio anno Sal. 1305. ducta in uxorem
B Beatrice Caroli II. Neapolitani regis F. à filio suo adolescente
Frisco nomine ex aliena uxore suscepto, dolo captus, & in
carcere necatus est. Friscus paternum dominium obtinuit.
*Blondus lib. 9. Decadis* 2.

Joannes Maria Vicecomes Joannis Galeacii filius, dux
Mediolani, Catharinam matrem viduam facta sua acerbius
jurgantem, in turri conclusit, & ibidem emori fecit. *Volater-*
*ranus & Fulg. lib.9. c.*11.

Selimus, minimus natu ex Bajazetis filiis, patrem agentem
annum ætatis 74. ex podagra decumbentem, veneno per me-
dicum Judæorum clanculum porrecto perfidè sustulit.

Lutetiæ nuper (inquit *Bodinus lib.* 1. *Dæmonomaniæ*)
vir quidam Nobilis per falsos testes, nec infirmatos, evi-
ctus hominem, quem nunquam viderat, occidisse: ubi ani-
madvertit se arresto Curiæ condemnatum, & mox ad ne-
cem rapiendum esse, patrem à se veneno sublatum confes-
sus est.

ALIMENTA DENEGANDO.

Filiorum erga patrem impietatem, *pete ex Tit. Alimentis*
*prudenter prospicere privatim.*

PULSANDO.

C Quidam accusatus, quòd patrem pulsasset, hoc modò de-
fendit impium facinus: Et ille, inquit, patrem suum verbera-
vit: & hic (ostenso filio) me verberabit, posteaquam adole ve-
rit: adeò nobis hoc gentilitium est. Videmus hoc ferè vulgò
evenire, ut qualis quisque fuerit in parentes, tales experiatur in
se liberos. *Arist. lib.*5. *Ethicorum.*

Quidam alius, cùm à filio pertraheretur, ventumque esset
ad domus limen: Define (inquit) fili; nam & ego patrem huc
usque. Agnovit se commeruisse, qui sic à filio tractaretur tan-
tùm postulavit, ut esset æqua retaliatio. *Ibid.*

VINCULIS COERCENDO.

Ptolemæus Philopatoris filius, matrem Berenicem in pala-
tio vinculis constrictam, Sosibio tradidit ad servandam: ubi
illa non ferens eam filii contumeliam, sumpto veneno interiit.
At ille perturbatus insomniis, monumentum in medio urbis
extruxit, quod nunc sepulchrum appellatur. In hoc unà cum
matre majores omnes suos composuit, & inter hos Alexan-
drum Magnum. Nec hoc contentus officio vir pius, tem-
plum eidem constituit in Ægialis, cui nomen inditum, Be-
D renici servatrici. *Zenodotus, & Erasm. in proverbio: Bene-*
*volus trucidator.*

Alphonsus I. Rex Lusitaniæ, Tiresiam matrem conjecit
in vinculo, quòd post mariti mortem fecundas tentasset nu-
ptias.

EXPELLENDO.

Babylonii, cùm à Dario rege defecissent, ut obsidionem eò
facilius tolerarent, matres omnes expulerunt: è domesticis
mulieribus elegit sibi quisque unam, quam voluit, ad panem
faciendum: cæteras omnes in unum contractas strangularunt.
*Herodotus lib.*3.

Seleucus Callinicus, rex Syriæ, dum novercam Berenicem,
Ptolemæi sororem, expulisset, ab ipso Ptolemæo bello petitus
est. *Justinus lib.* 27.

Cùm Adolpho Geldriæ duci à Carolo Burgundo pacis
conditiones, quibus rediret cum patre Arnoldo in gratiam,
propositæ essent: non minus impiè, quàm imprudenter res-
pondit, se malle præcipitem dare parentem in puteum, & se
ipsum deinde eodem conicere potiùs, quàm ejusmodi condi-
tiones accipere: Patrem jam præfuisse per totos 44. annos,
æquum esse, ut tandem, & ad se quoque redeat principatus: E
ferre se posse, ut ille quotannis habeat ad tria florenorum mil-
lia: sed ea conditione, ut ex Geldria discedat, nec unquam eò
revertatur. *Phil. Comin.* 5. *lib. Comment.*

PRODENDO HOSTIBUS.

Polydice Pteleam patrem Thebarum regem, Creon. pro-
didit, & occidi fecit.

Scyllam fuisse tradunt filiam Nisi regis Megarensium, quæ
capta amore Minois, patris purpureum capillum, quo incolu-
mi ille mori non poterat, clàm abscidit, patremque, & Ni-
sæam civitatem prodidit, ut ait *Pausan. in Atticis, & Strabo*
*lib.*8. Minos illam in profundum maris deturbavit odio pro-
ditionis. Illa in monstrum marinum versa est. Alii dicunt il-
lam desperatione captam, cùm à Minoe neglecta relinquere-
tur, post proditionem se in mare præcipitasse, & deorum ira
canes additos esse, ut illam in monstrum versam assiduè lace-
rarent. *Pausan. in Corinth.* Scyllam Nisi filiam, neque in avem
mutatam scribit, neque in monstrum marinum: sed ipsius jus-
su in mare dejectam, & ad Scyllæum promontorium delatam,
à marinis volucribus voratam esse. *Zenodot. lib.* 3. *Compend.*
suspensam fuisse inquit Scyllam de prora navis, in qua vehe-
F batur Minos, & per mare tractam, donec interiret. *Nat. Co-*
*mes Myth. lib.* 8. *cap.* 12.

Post Ilii vastationem ejectus est in Africam Diomedes, ubi
Rex erat Lycus, qui in more habebat Marti genitori suo hos-
pites immolare. Cæterùm filia ejus, Diomedis amore ca-
pta, Callirrhoe patrem prodidit, ac Diomedem vinculis solu-
tis salvum præstitit. Hic benè meritæ nulla habita ratione vela
fecit. Unde illa vitam laqueo finivit. *Ex Jubæ lib.*3. *historia-*
*rum Plut. in Parallelis.*

Calpurnius Crassus ex principibus Romanis, qui sub Re-
gulo merebat, missus fuit in Messulos ad arcem munitissi-
mam, quod Garætium dicebatur, expugnandum. Hunc bello
captum immolaturi erant. At Regis filia Bysaltia illius depe-
riens amore, prodito parente victoriæ illum fecit compotem.
Quo digresso puella sibi ipsa manus intulit. *Auctor Hesianax*
*lib.*3. *historiæ Africanæ. Ibid.*

Nanis filia Cræsi Sardos Cyro prodere conatur, illius spe-
rans nuptias. *Parthenius in Erotices, c.*22.

Darius Perses postquam conflictum cum Alexandro fuit G
ad Granicum (quo in prælio septem satrapas, currusque fal-
catos duos, & quingentos amisit) dimicaturus cum eo erat
iterùm. Ejus filius Ariobarzanes Alexandro favens parentem
recepit se proditurum. Unde ira pater incensus cervicem ejus
defecuit. Auctor *Aretades Gnidius lib.*3. *rerum Macedoni-*
*carum. Plut. in Parallelis.*

Brutus à tota civitate consul creatus, tyrannidem agentem
Tarquinium Superbum in exilium egit. Ille contulit se
ad Tuscos, atque armis petiit Romanos: cui consulis fi-
lii prodendi patris consilium inierant. Quamobrem præci-
dit eis pater caput. *Ita Aristides Milesius in historia Italica. Plut.*

L. Tullius Annalis, cùm in campum ad quæstoria co-
mitia filii descendens proscriptum se cognosceret, ad clien-
tem suum confugit. Sed ne fide ejus tutus esse posset, scelere
nefarii filii effectum est, qui per ipsa vestigia patris militibus
ductis, occidendum cum in conspectu suo objecit. Bis parri-
cida: consilio prius, iterùm spectaculo. Eo nomine à
Trium viris patris bona accepit. Verùm dum vinolentus do-
mum repetit, ab iisdem, quos patri immiserat, peremptus
est, numine pœnas exigente. *Cælius l.*11. *c.*17. *A.L. ex Val.* H
*lib.9. cap.*11.

C. Turannius Triumvirum partes secutus, proscripti pa-
tris sui Prætorii, & ornati viri latebras, ætatem, notasque cor-
poris, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum
persecuti sunt. Senex de filii magis vita, & incrementis,
quàm de reliquo spiritu suo sollicitus, an incolumis esset, &
Imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit. E qui-
bus unus: Ab illo (inquit) quem tantopere diligis, demon-
stratus, nostro ministerio, filii indicio, occideris, proti-
nusque pectus ejus gladio trajecit. Collapsus itaque est in-
felix, auctore cædis, quàm ipsa cæde miserior. *Val. lib.*
*9. c.* 11.

Anneus Lucanus poeta indicio vitam sua redempturus,
matrem suam Pisonianæ conjurationis consciam prodidit.

Andronici Senioris Imp. Constantinopolitani filius Theo
dorus Marchio, qui ante multos annos à matre in Italiam,
uxoris ducendæ causa missus, & per temeritatem, & socordiam
ære alieno oppressus, post matris Irenes obitum ad patrem,
uxore



uxore, & liberis illic relictis, reversus fuerat, præter alia pater-
A næ benignitatis officia, & victum Palatinum, omni etiam ære
alieno liberatus, Judam imitari, & patris proditor esse voluit.
Omnia enim, quæ à patre gerebantur, Andronico Juniori si-
gnificavit. *Gregoras lib.*9.

DEFICIENDO AD HOSTES.

Pharnaces ex Mithridatis filiis longè clarissimus, & ad
regni successionem à patre instructus, ratus fortè, ut à pa-
tre alienatus, facilius veniam impetraret, ad Rom. à patre
defecit. Sunt qui scribunt regni cupiditate id ab eo factum,
alii ut ab Italiea expeditione remoraretur, quæ difficilis ni-
mis, & periculosa videretur. Romanis ergo transfugis, qui
in castris erant, priùs corruptis, & inde, & militibus, scir-
po, ut in re subita, pro diademate capiti circumducto, ma-
gno militum favore rex consalutatus, mortuo patre Bospho-
ri regnum à Cn. Pompejo obtinuit. *Sab. lib.*4. *Enn.6. & Val.*
*l.9. c.* 11.

Richardus Henrici II. Anglorum regis F. ad Philippum
Francorum regem defecit, quòd pater Adelam Philippi so-
rorem sibi nactam in matrimonium dare nollet, ipsius amore
B captus. Narrant Henrici cadaver, dum in funere effertur, Ri-
chardo funeri patris obviàm facto, sanguinem è naribus subi-
tò emisisse, quasi vel mortuus indignaretur, propter impii filii
aspectum. *Polyd. lib.* 13.

Anno 1461. bello vigente Neapolitano inter Aragonicos,
& Joannem Andegavensem Lotharingiæ ducem, Joanna Ce-
lana mortuo Leonello marito, duobus ex eo susceptis liberis,
quòd Celanensis Comitatus dotalis esset, ipsa subjectos po-
pulos pro arbitrio moderabatur. Nam & popularibus propter
generis antiquitatem erat acceptior, & Rogerius natu major,
ejus aut ingenii, aut ætatis non erat, cui tutò rerum moderatio
permitti posset. Quod ille ægerrimè ferens, partesque
Andegavenses secutus, Nicolao Picinino adhærerat. Quo
auctore Picininus Gallianum, ubi Joanna cum antiquis se
thesauris tuebatur, circumsedit, castelloque potitus arcem
æneis tormentis die, ac noctu quatit. Dum autem regii præ-
fecti tardius se ex hybernis movent, & Picininus plurimo
peditatu locorum angustias occupat, quassatis, ac partim so-
lo æquatis muris, arx capitur. Splendidissima Leonelli su-
pellex, ac tot proavorum veteres thesauri direpti, nullum in
C egregiam feminam misericors animi officium à Picinino
tributum, nullum à filio pietatis meritum. Matrona paulò
antè plurimis ornata bonis, rerum humanarum exemplum,
captiva trahitur, fortunæ matris filio insultante. *Poncan. lib.*
4. *belli Neap.*

BELLUM PATRI INFERENDO.

Macharides Mithridatis Ponti regis filius, cùm à parente
omnia, quæ communiter à parentibus liberi solent, benefi-
cia accepisset, & insuper Bosphori regno ab eodem honesta-
tus esset, bello, quod Romani adversus Mithridatem gesse-
runt, non modò parti auxilio non fuit, sed omnibus in re-
bus ut hostem profecutus est. Verùm cum postea Mithri-
dates Macharidem ulcisci coactus esset, manu sibiipsi il-
lata, ingratitudinem, qua in patrem peccarat, ultus est.
*Fulgos. lib.* 5. *c.* 3.

Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, Ludovici Pii Francorum
Regis filii, nequaquam probitati justitiæ parentis responde-
runt. Nam impulsu quorundam perditorum, patrem insimu-
lantium, quasi nimio plus indulgeret Bernardo, qui cum Judi-
D tha Augusta rem haberet, impia arma arripuere in patrem,
ann. 834. Cùm instructæ utrinque acies starent, Gregor. IV.
Pp. advenit. Eo conspecto, arma ab utraque parte è vestigio
religionis reverentia posita. Patri filii clemens in speciem
responsum reddiderunt, se contempta multitudine in auctorita-
te illius futuros, si ipse ad se venire, & coram de rebus com-
munibus differere, præsente Pontifice, in animum induxisset.
His verbis deceptus Ludovicus, cum uxore à filiis compre-
hensus, ipse in Francia, Juditha in oppido Derthonis Italico,
diligenti custodiæ tradita est. Pipinus inde in Aquitaniam,
Ludovicus in Bavariam contendentes, Lothario, qui interim
ex Italia advenerat, summam totius peragendæ tragœdiæ
commiserunt. Lotharius secum patrem habens, Compendium
venit: & ex auctoritate Episcoporum piaculum patri impo-
suit, & indicta causa ante altare arma deponere, & imperio se
abdicare coegit: & pulla veste indutum Aquas hybernatum
deduxit. Per hyemem regnorum proceres, qui conjurationis
erant expertes, miseriis Ludovici permoti, restituendi ejus cau-
sa arma sumpserunt. Lotharius patre in monasterio S. Dionysii
relicto in Burgundiam abiit. Ludovicus igitur per Episcopos
Ecclesiæ reconciliatus, & manibus eorum armis, quæ exue-
rat, cinctus, iterùm se pro rege, & Imperatore gerere cœ-
pit. Cùm Carisiacum adiisset, Pipinum filium, & alios ad E
se profectos recepit in gratiam: Lotharium, cùm legatis mis-
sis, quæ petebat, impetrare à patre non potuisset, retrò ca-
stra moventem, ad Confluentem Ligeris consecutus, sup-
plicem ad se venire coegit, ac paterna auctoritate acriter pri-
mùm de rebus adversus se actis increpuit, deinde misericor-
diam imploranti ignovit: postremò in verba sua cum proce-
ribus suis jurare coactum, properè in Italiam decedere impe-
ravit: ac saltus Alpium, ne posthac eas se invito transiret,
firmis impositis præsidiis observari præcepit. *Sigon. l.* 4. *regni*
*Italici.*

Bernardus, ex Pipino Ludovici Pii nepos, Longobardorum
Rex, Alpium angustias (quas vulgus Clausas appellat) præsi-
dio munivit, & ingressum in Italiam prohibens apertè ab avo
defecit. Imperator misso exercitu, conjuratores adeò terruit, ut
Bernardus se sponte cum consultoribus dederet, Anselmus
Mediolanensis, Alphonsus Cremonensis, & Theodolphus
Aurelianensis Episcopi: qui omnes custodiis sunt traditi.
Cùm Bernardum luminibus puniret, licèt capitali omnes so-
rent sententia condemnati à proceribus, tamen Bernardus F
hujus pœnæ levioris impatiens, quasi omni careret scelere,
capite cæsus est, plerique ejus conduces pari affecti pœna:
Antistites dignitate amoti, cœnobiis inclusi, vita sunt donati,
reliqui relegati. *Cusp. A. D.*

Philippus Rex Francorum, Guilielmo Conquæstori An-
glorum Regi, cujus rerum magnitudo jam ei formidolosa esse
cœperat, negotium exhibere cupiens, quo ejus victorias infir-
maret, Robertum ejus filium in patrem armavit. Promise-
rat hunc pater diu antè se Normanniam administrandam da-
turum. At juvenis cupidus Imperii, vi à patre consequi stude-
bat, quod expectare longum censeret. Pater cum exercitu in
Normanniam trajecit, paratisque copiis dum pugnatur acri-
ter, Robertus præmittit in hostem pedestri jam turbatum
pugna, equites, qui perruptis ordinibus, in novissimam
aciem penetrant, quos ipse insecutus incidit in patrem, quem
transfosso brachio, de equo in terram deturbat: sed ubi ex
voce patrem cognovit, omisso equo, eum tollit, se ad ejus
pedes abiicit, petitque veniam commissi. Rex motus patria
charitate, in amplexum filii accurrit, quem deinde morem
sibi gerentem in oculis semper tulit. *Æmil. lib.* 5. *& Poly-* G
*dor. lib.* 11.

Ludovicus Bavarus, cùm ducem Ludovicum patrem suum
obsideret, ei mortem, quæ ætatis cursu haud longè aberat,
arcta obsidione premendo magis acceleravit. *Fulg. & Egnat.*
*lib.9. c.* 11.

Haraldo rege Danorum Christiano jam in senium vergen-
te, filius Zuenotto, sentiens procerum magnam partem ob
susceptam religionem indignari, quòd furta, & latrocinia per
mare per terras (quibus insueverant) ea lege interdicerentur:
patri bellum indixit, regno illum deturbaturus. Pater ita pro-
cessit ad bellum, ut militibus suis severa de servando filio suo
præcepta daret: sed victus Haraldus elabitur Julinum civita-
tem Vandaliæ. Ibi reparatis armis denuò duxit in filium, exi-
tu pari. Cùm tertiò congressuri viderentur, diremptum est
prælium interventu procerum. Cui rei fidens Haraldus, cùm
egressus in terram, à suis paulisper digrederetur, clàm jaculo
percussus, & Julium reductus obiit, & Roschildiæ tumula-
tus. Filium illi semper deinde sunt sequuti casus, ut facilè il-
lum pœniteret abjectæ religionis. *Crantz. l.* 3. *Methrop. &* H
*Saxo. l.* 10.

Rolvo, Ursiliæ matris Danæ suasu, quæ Svecos cane pejus
oderat, Athili patris Gothorum, & Svecorum regis thesauros
compilavit, & matre abducta in Daniam fugiens, arma contra
patrem scelesta movens, in acie peremptus est. *Joan. Magnus*
*lib.*2. *hist. Suenonum.*

Jatus Scotiæ regis filius, patrem, qui eodem erat nomine,
regnandi cupiditate oppugnare cœpit: cùmque à patre cum
multis aliis defecisset, magno edito prælio, pater in eo interfe-
ctus est. *Fulg. l.9. c.*11.

Premislaus è proceribus Boemis inductus Venceslai III.
Regis exactiones non ferentibus arma contra patrem induit.
Cæterùm magno prælio victus, ultrò ad patrem habitu lugu-
bri venit, seque ante illum in terram prostravit, misericor-
diam paternam invocans. Sed ne sic quidem rigorem patris
flectere potuit, quin custodiendus in arcem abduceretur. *Du-*
*bravius lib.* 16.

Carolus Princeps de Viana, Joannis 18. Aragonum Regis
ex Blancha Navarræ regina F. ægrè ferens Joannam novercam
à patre regni Navarræ gubernaculo admotam esse, contra

patrem conspiravit. Bis victus, & in gratiam receptus. Ter-
A tium res novas moliens, à patre in vincula conjectus, de capite periclitabantur, cùm Barcinonenses, & Gothalani à rege deficiunt. Ad quorum insaniam mitigandam Carolum liberavit. Sed is paulò post mortem obiit: & vel post fata illius horrenda rebellio, multo subditorum sanguine vix tandem expiata, per totam graffata est Hispaniam. *Marinæus lib.14. Rer. Hisp.*

REGNUM OCCUPANDO.

☞ *Ex Tit. Regnandi libido ambitiosa, huc ea, quæ inter parentes, & filios aguntur.*

Absalon Davidem patrem regno expulit: & suasu Achitophel, ut se perpetuas cum patre inimicitias suscepisse ostenderet, eaque ratione amicos Israelitarum, qui Davidem odio persequebantur, confirmaret, cum decem concubinis, quas pater fugiens, ad domus custodiam Hierosolymis reliquerat, tenso tabernaculo super tecto, in oculis omnium Israelitarum rem habuit. 2. *Reg.16.*

Filiæ impiæ Leyrum patrem Britannorum regem, non contentum hæreditate accepta, regno pellunt. *Vide Tit. Regnandi libido ambitiosa.*

B Therasi mundus Pharoaldo patri suo, Spoletanorum duci, caput in modum presbyteri rasit, ut principatum arriperet. *Paulus Diaconus.*

Calojoannes Græcorum Rex, auxiliares copias adversùs crescentem Amuratis potentiam sibi paraturus, Venetias ivit: & inde Galliæ regem Carolum Sapientem accessit. Verùm re infecta, cùm Venetias rediisset, non potuit usuras fortis istius pecuniæ, quàm à Venetis mercatoribus mutuò acceperat, solvere. Milit igitur ad Andronicum F. natu majorem, rogans, ut pecuniam compararet, eamque ad se mitteret, ut se à creditoribus redimere possit: nec se negligeret, jam longò tempore in carcere agentem. Andronicus his cognitis nimis regno gaudens, difficultatem conficiendæ pecuniæ questus, omnem opem patri denegat. Emanuel filius Regis Junior, collecta, & exacta quàm maxima pecuniæ vi, venit Venetias. Pecuniam omnem, quàm exegerat Thermæ, cui urbi præfectus erat; obtulit, & seipsum, quoque patri tradidit, ut se pro arbitrio uteretur. *Chalcocond. l.1.* Aliter *Sabellic.* Tenebat, inquit, Græciæ imperium Calojannes, homo Veneti nominis amicissimus: is inter cæteros, quos tulit liberos, Andronicum habuit, qui cùm temerè in patrem conspirasset, sceleris convi-
C ctus, illius jussu visu debilitatus est, ac Peram ablegatus. Genuenses, qui jam anteà indignè tulerant, Venetos sibi à Colojoanne in amicitia prælatos, puerum primò curandum medicis tradidere: eumq; magna ex parte luce recuperantè, ad imperium patris impiè occupandum impulere. Audax, & facinorosus juvenis haud abnuit scelus: ac Perensium, qui omnes ferè Genuenses erant, opibus fretus, repentè in tenem, & reliquos necessarios impetu facto imperium occupat, parentes ipsos cum tota familia in vincula coniicit. Promiserat ab initio Andronicus Tenedum insulam Genuensibus. Quibus fidem præstiturus, scribit, ad eos, qui arcem præsidio tenebant, ut eam cum tota insula Liguribus traderent. Præsidii præfectus respondet, insulam Calojoannis esse, non filii: nulli hominum se eam traditurum unquam, nisi is, cujus esset, imperasset. Veneti interim evocati insulam occuparunt. Et hæc quarti belli Ligustici occasio fuit. *Sab.lib.5. Dec. 2.*

Andronicus Junior, Michaelis Palæologi F. & consors Imperii factus, avum suum Andronicum senorem imperio de-
D turbavit, Genuensium auxilio, quibus in mercedem Tenedon insulam pollicebatur. Sed Veneti Andronicum Imperatorem in patriam reduxere, & ab eo Tenedon recepere. Ob id indignati Genuenses, etsi ultionem cuperent, veriti tamen Pontificis anathema, qui utrique populo auxilia minimè ad eos pertinentia ferre sub gravissima censura prohibuit, vindictam in commodius tempus distulere. *Cusp. A. D.*

Stephanus, & Constantin. Impp. filii Romani Imp. ægrè ferentes se justa patris severitate à juvenili levitate coerceri: dispositis in palatio insidiis, adhortante altero Constantino, Leonis Imp. filio, patrem de palatii solio deposuerunt: & tonso ei (ut moris est) capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobitæ philosophabantur, transmiserunt. *Sigebert. in Chron. & Fulg. lib.9. c.11.*

Constantin. VI. cum Irene matre imperavit annos decem. Sed eam libidine regnandi (licèt omnia virili prudentia administraret) rejecit. *Voiat. lib.23. Anthrop.*

Henricus IV. anno Sal.1090. subacta Italia, in Germaniam revertens, reliquit filio Conrado Italiæ administrationem. Verùm post patris discessum, Mathildis comitissa Conrado, ut contra parentem pro defensione sacrosanctæ Ecclesiæ Roma- E
næ arma caperet, persuasit: eique post regium diadema ab Urbano acceptum, Rogerii, Normannorum regis, Henrico patri insensissimi, filiam matrimonio junxit. Itaque à patre fide defecit filius, & plurimi Germaniæ Principes, & Episcopi, missis clàm legatis, animum ipsi addidere. Pater, postquam nihil non quo afflictis Imperii rebus opem ferri posse putabat, frustrà tentasset: indicto Moguntiæ conventu, anno 1099. de procerum consilio, Conrادum paternis priùs bonis exhæredatum Imperii Hostem renunciavit, eique Henricum alterum filium, ejus nominis Quintum, surrogavit. Cognita justa patris ira, & pœna irrogata, Conradus bellico nervo regium nomen tutari voluit: sed inopia morte abreptus est an. 1101. *juxta Sigeberto.*

Henricus IV. Imp. filium Henricum V. Cæsarem designarat, insignia nondum tradiderat. Erat longum mortem patris expectare à Pontifice Maximo communione fidelium submoti. Ex professo à patre defecit specie religionis, quòd ab impietatis ignominia vindicare nomen Augustum, ac illud cum sacrosancta potestate, summoque Pontificatu in gratiam revocare velle se diceret. Pater arbitrio rerum dejectus F
propè privati hominis cultu, comitatuque in Eburones se contulit. Leodienses eum regio apparatu, ut Cæsarem excepere. Ubi periit. *Æmil.l.5. Fulg. & Egnat. l.9. c.11. Vide Tit. Regnandi libido.*

Balduini Flandrensium Comitis filius Balduinus, Roberti regis Franciæ filiam acceperat conjugem. Regalibus proinde nupciis intumescens, patrem ejecit: is confugit ad Robertum Normanniæ ducem. Robertus exercitu ducto in Flandriam. patri filium æquis conditionibus conciliavit, peregitque ut in reliquum tempus pacificè agerent. *Crantz. lib.3. Novergiæ, c.24.*

Sanctius IV. Castulonensium Rex, erga Alphonsum X. Castulonensem regem patrem suum impius fuit. Nam cùm mortuo Ferdinando, qui Alphonsi major natu filius erat, successionis jus non aliis modò rationibus, verùm populorum, quoque consensu, in Ferdinandi filium, & ipsum Alphonsum cognomine de Cerda nuncupatum, transiret: Alphonsus senior, quòd Sanctium filium nimis diligeret, à nepote, in eum, qui minor natu filius erat successionem transtulit. Cùm autem posteà seniorem ipsum Alphonsum Electores, etsi prorsus non concordes, Imperatorem creassent, & ipse ob G
eam rem Avenionem ad Pontificem proficisceretur: fatiùs duxit Imperatorio titulo cedere, quàm de eo armis cum adversariis decertare. Inde posteà in Hispaniam revertens, à Sanctio, cui abiens regnum commendaverat, exclusus est: Regno, & Imperio simul carens apud Hispalensem urbè decessit. *Fulg. l.9. c.11.*

M. Antonius Columna Ascanii patris, intractabili ingenio viri, duritie, & asperitate exagitatus, per occasionem cuncta, quæ in Latio pater possidebat, occupavit: præludium haud dubium gravis, periculosique belli, ni apud Aprutios copias parans Ascanius, quibus rebellem filium ulciscereturr. Proregis jussu custodiæ traditus, in ipsis principiis nascentem civilis tumultus flammam sua ipse perpetui carceris calamitate oppressisset, ann. Christi MDLIII. *Panvinius.*

Selymus Turcorum Imp. dum bellum cum Sultanis Campsone, & Tomumbejo gessit, dicitur veritus esse ne sibi absenti Solymanus Imperium adimeret, quemadmodum ipse Bajazeti patri ademerat, cùm veste quadam veneno intincta dono missa filii vitæ pater insidiatus esset. *Jovius in vi-* H
*ta Selymi.*

PARENTES, VITRICI, NOVERCÆ, Avi, Aviæ, Injusti erga Liberos, Privignos, Nepotes.

IN GENERE.

☞ *Consule Tit. Pœna justa perfidiæ in Liberos.*

IN SPECIE.

Sic injustitia sese exerit.

CÆDE.

Athalia avia crudelissima, omnes suos nepotes ex Ochozia F. Judæorum regem interfecit, uti stirpem Davidis penitùs tolleret. Solus Joas infans cædi ereptus. 4. *Reg.11.*

Herodes Judæorum Rex, falsis delationibus persuasus, filios suos Alexandrum, & Aristobulum, ex Mariamne suscepto, Aquilejæ primum apud Cæsarem Augustum accusavit. Iis autem patri reconciliatis, Antipatri fratris insidiis denuò tanquam vitæ suæ insidiatos, indicto apud Berytum concilio, capitis damnatos interfici curavit, suspicione criminis pro confesso





fesso crimine illis objecta. *Joseph. lib.16. Antiq.* Itaque non
A immeritò Augustus dixit: Malle se Herodis porcum, quàm filium esse. Nam propter Judæorum legem sue non vescebatur: filios autem crudeliter occiderat. *Fulg. lib.5. c.8. Sab. l.3. c.3. & Macrobius lib.2.*

In obsidione Hierosolymorum nobilis quædam matrona, Maria, proprium filium assatum comedit præ fame. *Joseph. de bello Judaico.*

Tantalus (qui in Phrygia regnavit) deis hospitio susceptis, Pelopem filium coctum, membratim comedendum apposuit, ut eorum divinitatem experiretur. *Seneca in Thyeste:*

*Exceptus gladio parvulus impio,*
*Dum currit patrium natus ad osculum,*
*Immatura focis victima concidit:*
*Divisusque tua est, Tantale, dextera,*
*Mensas ut struxeres hospitibus deis.*

Pelops Tantali filius, ex Hippodamia duos suscepit liberos Atreum, & Thyestem. Ex Danaide puella Chrysippum, patri cæteris chariorem. Quem cùm noverca Hippodamia odio
B prosequeretur, ejus cruore manus impias contaminavit. *Dositheus apud Plutarchum.*

Agave Thebana mulier, Pentheum filium Bacchanalia contemnentem ope Mænadum interfecit. *Ovid. lib.3. Metamorph.*

Medea ab Jasone (quem hospitio susceperat, & modum rapiendi velleris docuerat) repudiata, filios ex eo susceptos Dyndimum, & Tisandrum interfecit. *Virgil. Ecloga 8.*

*Sævus amor docuit natorum sanguine matrem*
*Commaculare manus* ——

Progne Pandionis filia, ægrè ferens sororem suam Philomelam à Tereo marito fuisse stupratam, Itym filium eidem comedendum apposuit. *Ovid.6. Metam.*

*Tendentemque manus, & jam sua fata videntem,*
*Et mater, mater clamantem, & colla petentem,*
*Ense ferit Progne, lateri qua pectus adhæret.*

Ædon filium Itym Polytechno patri epulandum proponit. *Vide Tit. Æmulat. mechanicæ ambitiosæ.*

Althea ægrè ferens fratres suos à Meleagro filio interfe-
C ctos, fatalem combussit stipitem, de quo Parcæ prædixerant, Meleagrum non priùs periturum, quàm stipes ipse igni fuisset absumptus. Hoc itaque modò natum emori fecit. *Ovidius lib.1. Tristium.*

*Usque cremasse suum fertur sub stipite natum*
*Thestias, & melior matre fuisse soror.*

Ulysses filium suum Euryalum interfecit, suasu Penelopes noverca, vim sibi ab eo intentatam comminiscente. *Parthenius c.3. in Eroticis.*

Pelops, Tantali & Euryanassæ, ex conjuge Hippodamia Atrea, & Thyestem tulit, atque ex Danaide Nympha Chrysippum: quem suprà legitimos liberos charum habuit. Hunc Thebanus Lajus amore pueri flagrans rapuit, correptusque à Thyeste, & Atreo amoris gratia, miserabilis Pelopi fuit. Cæterùm Hippodamia institit apud Atrea, & Thyestem, ut eum de medio tollerent, insidiaturum scilicet regno. Quibus abnuentibus, ipsa sceleri manus commodavit. Siquidem concubia nocte strictò, sopiti Laii ense sauciavit Chrysippum, gladiumque ei infixit. Suspectus cùm esset
D ex gladio Lajus, à semineæ servatur Chrysippo, qui verum fassus est. Illo hoc humato Hippodamiam exterminavit. Hoc prodidit Dositheus in commentario de Pelopidis. *Plut. in Parall.* H

Hebius Tolux ex conjuge Nuceria filios genuit duos, atque ex mirè formæ liberta Firmum, quem præ legitimis dilexit. At Nuceria privigno infesta filios ad illum de medio tollendum concitavit. Hi, piè id detrectantibus, cædem ipsa patravit, ac nocte spiculatoris districto gladio lethale vulnus sopito inflixit, reliquitque in vulnere gladium. Adducto in suspicionem speculatore, puer id, quod erat, exponit. Quare Hebius hoc funerato in exilium expulit uxorem. *Auctor Dosiotheus lib.3. de Rebus Ital. apud Plut.*

Endeis Scyronis F. Æaci uxor, filios suos Peleum, & Telamonem contra Phocum privignum instigavit, ut eum in ludo interficerent. *Vide Tit. Fratricidæ.*

Cambyses Cyri filius, Persarum Rex, filium sagitta occidisse fertur, furore correptus, quo prius fratrem, & gravidam sororem dederat morti. *Sabell.*

Est in Creta oppidum Oaxus, in quo fuit Etearchus Rex. Hic amissa uxore, induxit filiæ, nomine Phronimæ, novercam: quæ domum ingressa, ut erat, ita re ipsa se novercam præstitit, cùm lædendo, atque omne genus injuriarum excogi- E
tando, tum ad extremum impudicitiam impingendo: idque ita rem habere viro persuasit. Iste ab uxore deceptus, rem de filia nefariam commentus est. Erat in Oaxo negociator, quidam Theræus nomine Themison: hunc in familiaritatem acceptum Etearchus adjurat, ut quam rem oraretur, in ea se ministrum præberet. Ubi hominem jure jurando adegit, adductam ei tradidit filiam suam: jubens, ut eam abductam in mari demergeret. Themison ancipiti animo inter nefas operis, & hospitii perfidiam, ita sibi faciendum putavit. Accepta puella mare ingressus, cùm in alto fuit, ut jurejurando Etearchi satisfaceret, revinctam funibus puellam demisit in pelagus: ea denique retracta, Theram pervenit. Ibi Polymnestus, vir inter Theræos spectatus, in concubinatum Phronimam accepit: ex qua interjecto tempore natus est ei filius, sono vocis exili, ac balbutienti, cui nomen impositum est Batto, ut Theræi, & Cyrenæi ajunt. At alii referunt, eum cùm ex jussu Delphici Apollinis in Africam coloniam Theræorum duxisset, & Cyrenæorum rex esset factus, Battum fuisse dictum: & priùs sic ab oraculo appellatum, quoniam Battus lingua Punica regem F
significat. *Herod. lib.4.*

Olympias Philippi Macedonis uxor, filiæ Eurydicæ, quæ nata erat Philippo ex Illyride quadam uxore, misit cicutam, laqueum & ensem. Illa laqueum delegit. *Ælian. de Var. hist. lib.13.*

Lysimachus Macedoniæ Rex, cùm natu jam grandior esset, & cùm ipse suscepti liberis fortunatus haberetur, tum verò Agathocli filio ex Lysandra liberi geniti essent: Arsinoee tamen Lysandræ sororem sibi matrimonio adjunxit. Eam, cùm timeret, sui ne filii, mortuo Lysimo, in Agathoclis potestate essent, de Agathoclis cæde consilia iniisse ferunt. Sunt qui scriptum reliquerint, Arsinoen Agathoclis amore captam: cùmque ad obsequium adolescens pellici non potuisset, ab ea per insidias de medio sublatum: Lysimachum ubi tam audax facinus uxorem ausam cognovit, quo nihil tamen vehementius optasset, suprà quàm dici possit gavisum. Ejus itaque permissu interempto Agathocre, Lysandra ad Seleucum profugit. Seleucus è Babylone contra Lysimachum movens, eum
in prælio occidit. *Pausan. in Atticis.* G

Cleopatra, quæ Antiocho nupsit, filium occidit, quòd non auctor ab eo facta esset recepti diadematis: alteri venenum miscuit. Sed exitium, quod alteri paraverat, in ejus caput vertit, id à filio bibere coacta. *Sab. lib.3. c.10.*

Ptolemæus Physcon, filium suum Memphitem, quem ex Cleopatra eadem sorore, & uxore sustulerat, in conspectu suo occidi jussit, pedes ejus præcisos, & caput, & manus in cistam chlamyde opertos, pro munere natalitio matri misit. *Val. Max. lib.9. c.2. Livius lib.56. Vide Tit. Regnandi libido.*

Laodice regina Cappadociæ, cùm viro Ariarathi unà cum sex liberis infantibus superstes fuisset: verita, ne adulti eam regno filii pellerent, scelesta mulier, quinque veneno sustulit: contra ipsius sententiam, sexto incolumi servato: qui posteà in regno successit, cum ipsa populari tumultu interiit. *Fulgosus lib.1. c.11.*

Plutarchus de Stoicorum pugnis, Dejotaro Galatorum regi ait plures fuisse filios: quorum cùm ipse uni relinquere Imperium, atque omne patrimonium suum cuperet: quò id faciliùs efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidavit: vinito- H
rum exemplo, qui cùm vitis aliqua complures emiserit surculos, unum modò ex eis relinquere, alios amputare consueverunt, ut is, qui relinquitur, major, & robustior fiat. *Muretus lib.8. Var. lect. c.24.*

Mithridates Ponti, & Asiæ Rex, crudelis in omnes, matrem, fratrem, & filios tres impuberes, ac totidem filias interfecit. *Cælius.*

Ptolemæus Auletes regno restitutus (quo ob flagitia fuerat ejectus) Cleopatram filiam, & Archelaum ejus maritum (quos Ægyptii in regnum asciverant) occidit. *Strabo lib.17.*

Nuceria uxor Hebii, cùm Firmum privignum maligno prosequeretur odio, filios suos ad inferendam ei mortem incendebat. Quòd cùm illi facere per pietatem abnuerent, dormientem gladio adorta est. *Dositheus apud Plutarch.*

Catilina vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus, cùm unum impedimentum videret, quò minus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem & solum, & ætate jam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit, ac novæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogavit. Eodem deinde animo civem, quo patrem, agens,

filii pariter manibus, & nefariè attentatæ patriæ pœnas dedit.
A *Val. Max. lib. 9. c. 1.*

Nero Cæsar privignum Ruffinum Crispinum Poppæa ex equite Rom. cui anteà nupta erat, natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. *Suetonius.*

Vitellius Imp. uxorem habuit Petroniam, consularis viri filiam, & ex ea filium Petronium captum altero oculo. Hunc hæredem à matre sub conditione institutum, si de potestate patris existet, manu emisit: brevique, ut creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii, & quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset. *Sueton.*

Zenobia noverca impia in Herodem privignum. *Vide Tit. Mulieres fortes.*

Constantinus Magnus Crispum filium cum Licinio fororis suæ marito, incerta causa, morti dedit. Sextus Aurelius prodit, hoc eum fecisse suasu Faustæ conjugis.

Heraclio hydrope extincto, Constantinus filius ejus succedit: qui cùm vix menses quatuor regnasset, à noverca sua Martina, & Pyrrho Patriarcha, veneno est sublatus, & suffe-
B ctus ipse Heraclonas novercæ filius cum matre Martina, qui similiter non diutiùs imperavit, quàm menses sex. *Paul. Diacon. lib. 18. rerum Romanorum.*

Sigismundus Burgundiæ Rex, qui monasterium Agaunensium construxit, filium suum Sigericum (quem alii Sugerium vocant) peremit, malo novercæ consilio. *Sigebert. in Chronicis. Vide Tit. Sævitiæ œconomicæ parentum.*

Dioscorus pater B. Barbaræ, filiam multis priùs tormentis affectam, ad extremum supplicio capitis affecit, quòd ad idololatriam flecti non posset. *Ravisius.*

Lenogildus Rex Hispaniæ, filium Hermengildum, quòd à secta parentum abhorreret, ac Childeberti Francorum regis orthodoxi filiam duxisset in uxorem, morte affecit. *Volat.*

Eduardus II. Rex Anglorum, è venatu rediens, ab Alfreda noverca venenato poculo interfectus est. *Vide Tit. Regnandi libido.*

Uxor comitis de Mansfeld, filia comitis de Luchou, cùm parentes invisere constituisset, iter faciens per erycam Luneburgensem, in vicino fruticeto audivit vocem gementis, & miserabiliter precantis: misloque uno, ac altero ex familia,
C jubet contemplari, quid esset: nec demorata reditum, cùm mora facerent, ipsa aditura jussit adverti currum. Conspexit senem ligatis manibus ejulantem, orare ut vitæ suæ parceretur. Juxta vidit rusticum Vandalum scrobem effodere: quem interpellans rogat, quid moliatur. Ille nihil ratus illicitum, plane fatetur, patrem se suum, jam inutilem, sepulturum. Redarguit illa hominem, quòd parenti non parceret. Tum ille: Non possum, inquit, ò domina, comparare panem parvulis, quos multos alo domi, & dare inutili seni: utrisque autem enutriendis non sufficio. Ergo illa cum gemitu ad suos conversa dixit: Et hi fructus sunt exactionum, quibus pauperes exhauriuntur, prolatisque aliquot argenteis, dedit filio, ut patri vitam donaret. Pollicetur ille, quoad duraverint argentei, se patri prospecturum. *Crantzius lib. 7. Vandaliæ c. 48.*

Bartholomæus Elias Patavinus, satis honesto inter cives suos loco natus, diù, multùmque cum monachis quibusdam litigarat, ac tam sæpè causa ceciderat, ut inde maximam rei familiaris jacturam fecerit: & jam neque æs alienum, quod
D grande conflaverat, dissolvere, neque tutò in civitate esse, aut saltem satis honestè pro dignitate familiæ suæ, in vita posthac permansurum se existimaret. Itaque fœdissimum, terrìrimumque consilium secutus, tres parvulas, atque easdem innocentes filias, Lucretiam, Helenam, & Lauram, quòd ad eas dotandas reliquum nullum jam supereset patrimonium, 4. Idus Junii, MDLII. lecto cubantes interfecit: falsa nimirum specie misericordiæ in crudelitatem lapsus. Mater miserrima novo, horrendoque spectaculo exanimata exanguis collabitur: mox recepto spiritu, nisi amicorum interventu prohibita fuisset, è tecto sese præcipitem datura fuerat. Pater se, quo facto pium putarat, sceleratum jam intelligens, repentino furore actus patriis è finibus se furtim proripuit: perque inhospita loca nocturnis itineribus errans, in vicum tandem Grignæum, quem vocant (is jacet inter Alpium juga prima) sese recepit: atque ibi demum nefarii, atrocissimique post hominum memoriam perpetrati flagitii conscientia victus, sacerdotem ad se vocari curat, eique facinus suum fassus, absolutionem vel ab invito minis exorquet. Mox intempesta nocte, cùm nullum aliud telum suppeteret, Furiarum indicio, falcem messoriam in angulo hospitii latentem rubigine erosam, & planè hebetem arripit, eaque guttur sibi terque quaterque
E repetitis ictibus laceravit potius, quàm præscidit, nec tam ex vulneris violentia, quàm sanguinis profluvio infelicem efflavit animam. Extat de ea re elegans carmen Jacobi Rufini.

Rosta Solymanni Imp. concubina, noverca, erga privignos impia. *Vide Tit. Astus in astruendo Imperio.*

Joannes Basilides magnus Moscorum Dux, Joannem filium, majorem natum, cùm pater opum suarum magnitudinem, ac thesauros jactasset: ille verò iis Regis Poloniæ thesauros, virtutem, ac animi fortitudinem prætulisset: vel, ut quidam dicunt, cùm obstinatius à patre exercitum, quo cum regio exercitu dimicaret, flagitasset: iratus verò illi pater, scipionem in caput impegisset, non multò post, sive ictus, sive animi doloris vi, in paroxismos epilepticos, atque inde in febrim incidisse, ex eaque deinde extinctum narrabant. *Rein. Heidenstenus lib. 5. belli Moscovit.*

INSIDIIS.

Athamas Thebis imperans, Nephelen uxorem duxit, è qua Phrixum, & Hellen suscepit. Mox Nephele dimissa, ex Ino
F Cadmi, & Harmoniæ filia, secunda uxore, Clearchum, sive ut alii maluerunt, Learchum, & Palæmonem suscepit, quem Melicertam posteà vocarunt. Ino privignos odio habens, hujusmodi insidias Phrixo, & Helle machinatur. Torruit omnia frumenti cæterorumque leguminum semina ne nascerentur, deinde persuasit vatibus per largitionem, ut nunciarent Athamanti, fruges illa de causa non nasci, quia opus foret unum de filiis Nepheles diis immolari. Eo responso compulsus Athamas, Phrixum dicitur ad aram mactaturus statuisse, ut ait *Apollodorus Grammaticus lib. 1.* At Nephele Phrixum, & Hellen rapuit, aureamque ovem à Mercurio sumptam illis dedit, qua per aera vecti fuerunt. Cùm verò ad id freti pervenissent, quod est inter Sigæum, & Chersonesum, Helle in proximum mare decidit, quod ab ea dictum fuit posteà Hellespontus, vel Athamantidis, ut ait *Æschylus in Persis, & Ovid. in Epist. Leandri.* Phrixus incolumis in Cholchidem pervenit, ibique Jovi Phrixio cognomine fugæ fautori, arietem immolavit, pellemque ilici in luco Martis affixit: (quam posteà à Dracone servare fabulati sunt) & ex Chalciope Ætæ filia, Argum, Meliam, Catim, Sorum Phrontim, ac Hellem fuscepit filios, Athamas posteà Jono-
G nis voluntate in furorem versus, quoniam Dionysium à Mercurio acceptum tanquam puellam per quoddam tempus educasset, Learchum filium, quem fusciperet ex Ino, leonem esse putans trucidavit. Qua re territa Ino, cum Melicerta in mare desiliit. Fuerunt, qui dicant furorem immissum fuisse Ino, quòd illius filiæ educassent Dionysium. At *Nymphodorus Syracusius in libro Asiaticæ navigationis* non ab Athamante, sed ab Ino sævitum esse scripsit in filios Learchum, & Melicertam. *Dorion in libro de Piscibus* Learchum sagitta fuisse ac Athamante transfixum scribit, Melicertam ab Ino jugulatum. Alii dixerunt Ino fugisse Athamantis impetum cum Melicerta filio, quia Learcum, quem Athamas interemerat, in cacabum bullientis aquæ conjecisset: Aufugit igitur per Geraniam Megarensis agri montem, seque de saxo Molurido dicto, ut ait *Pausan. in Atticis*, cum filio Melicerta, præcipitavit: ut patet *ex 4. lib. Metamorph.* apud Ovidium. Ob has cædes Athamas è Bœotia profugus oraculum consuluit, ac responsum cepit, ut ibi habitaret, ubi à sylvestribus animalibus in convivium acciperetur. Paulò pòst in Athamania vocata lupi illum intuentes aufugerunt, semesasque carnes ovium, quas H comedebant, reliquerunt. Ad extremum ipsi Nephele pœnas daturus Athamas ob filios, ad Jovis aram jugulandus adducitur, at ab Hercule servatus fuit. Quæ res argumentum fuit posteà Sophocli tragœdiæ Athamant. *Nat. Comes Mythol. lib. 6. c. 9. & lib. 8. c. 4.* Hinc ortum adagium, ut intolerandum dolorem significantes diceret, ἰοῦς ἄχη. *Ex Melicrate Tyrio Zenodolus, Erasm.*

Prusias Bithyniæ Rex, humilli cujusque, ac profligatissimi fautor, Nicomedis filii interficiendi consilium cepit, dum consultum cupit minoribus filiis, quos tulerat ex noverca, quam Nicomedi superduxerat. Cæterùm adolescens, cùm ex his, quibus erat id negotium à rege injunctum, quod in se pateretur, resciviset, illorum hortatione scelus scelere discussit, factoque ex improviso in regiam impetu, patrem expulit. Nec ita multò post ex ignotis latebris extractum suis interficiendum tradidit. *Sab. lib. 9. Enn. 5.*

VITÆ PERICULO.

Rhetogenes transfuga Hispanus filiis machinæ objectis à ci-



à civibus, ut Romani ab oppugnatione urbis Centrobricæ
A desisterent, minimè parcendum putavit. *Vide Tit. Humanitas erga hostes.*

EXPOSITIONE.

☞ *Vide Tit. Infantes expositi.*

Pater Atalantæ crudelis, cùm nullis feminis se opus habere diceret, filiam exponi curavit. Quæ tamen ab ursa suscepta, & enutrita fuit. *Ælian. 13. Varia hist.*

Acrisius Abantis filius, cùm ab oraculo accepisset, se ejus manu periturum, qui ex Danae filia nasceretur, natum posteà ex ea Perseum jussit exponi, & submergi. Inventus tamen in litore Perseus, à piscatore quodam nutritus est. Inde ubi adolevit, suamque rescivit originem, Acrisium ipsum interfecit. *Volaterranus.*

RAPTU.

Stephano filio Chersechius regulus sponsam eripuit. *Vide Tit. Religionis liberæ desertores.*

VENUNDATIONE.

Thraces liberos in mercatu venundant; *Herod. lib. 5.*

PRODITIONE.

Attilii proscripti Mater, cùm ad eam profugisset filius, ut
B ipsius opera absconderetur, rejectum à se ad certam mortem ablegavit. Impia mater filio id negavit, quod multi servi, amicique majore suo periculo heris, & amicis præstiterunt. *Fulg. lib. 9. c. 10.*

Caractacus Scotorum Rex, ab Ostorio Scapula Romano prætore in Britannia victus, cùm fidem Cartumanduæ Scotorum reginæ, suæque novercæ, (quæ post extinctum Cadavallum patrem, Venusio viro illustri nupserat) petivisset, victus victori traditus est, nono anno, posteà quàm bellum per Romanos in Albione est cœptum. Caractaco vita functo Corbredus in Scotorum regno successerat. Is Romanis infensus, Venusium in belli societatem pertrahit. Id ægrè ferens Cartumandua, admissi sceleris in Caractacum regem conscia, felices Corbredi successus habens suspectos, callidis artibus Venesium fratrem, & propinquos conjecit in vincula. Ea injuria accensus Corbredus, ubi Epiacum venisset, Venusium carcere eduxit: Cartumanduam, cun-
C ctis clamantibus veneficam tolli oportere, vivam jussit defodi. *H. Boeth. lib. 3.*

REGNI PRIVATIONE.

Ptolemæus Ægypti Rex, appellatus Philometor, octavus
C à Ptolemæo Lagi filio, id cognominis per illusionem nactus est, neque enim regum quisquam fuit unquam ex omnibus, quem majori odio mater Cleopatra prosecuta fuerit. Hunc enim majorem quamvis natu, regem salutari non est passa, & in ut in Cyprum vivente patre ablegaretur, effecit. Cujus in filium acerbitatis cum alias fuisse causas Cleopatræ memorant, tum quòd Alexandrum natu minorem sibi obsequutiorem fore sperabat: ob eamque rem, primùm ut cum Ægyptii regem crearent, suadebat: deinde, cùm repugnante plebe id assequi nequisset, in Cyprum Alexandrum misit, Imperatoris quidem nomine: re verò, ut per eum Ptolemæo formidolosior esset ipsa. Postremò ex omni eunuchorum numero, quos amantissimos esse sui putabat, faucios in concionem produxit, Ptolemæum insimulans, & insidias sibi fecisse, & eunuchos vulneribus fœdasse. Qua re Alexandrini commoti, non multùm abfuit, quin Ptolemæum impetu facto opprimerent. Sed cùm ille navi se periculo eripuisset, haud ita multò post è Cypro reversum Ale-
D xandrum, regem appellant. Digna autem facinore pœna Cleopatram consecuta est. Eam enim Alexander filius, quem suis ipsa consiliis ad regnum evexerat, peremit. Quo scelere detecto, cùm civium metu aufugisset Alexander, Ptolemæus in Ægyptum rediit: atque iterum regno potitus est. *Pausanias in Atticis.*

Irene Constantinum filium suum captum, imperio, & oculis cum filiis privavit, ann. Chr. 789. *Sigebertus, & Blondus.*

EXHÆREDATIONE.

☞ *Vide Tit. Testamenta rescissa justè.*

Epitadeus Ephorus filium suum hæreditate exuit. *Vide Tit. Avaritiæ magistri.*

Ebutia Aphroniam filiam injustè exhæredavit. *Vide Tit. Fidei liberorum erga parentes.*

ACCUSATIONE FALSA.

Sthenobœa Prœti uxor Bellerophontis privigni amore capta, cùm repulsam ob castitatem ejus tulisset, apud Prœtum eum falsò detulit, tanquam vim sibi afferre voluisset. Itaque Prœtus indignatus, misit illum ad Jobatem partem Sthe-
E nobœæ ut ille eum interficeret. Prœtus enim eum è medio tollere nolebat, quòd eum filii loco educavisset. Jobates
E verò, cùm illum falsò accusatum fuisse rescivisset, Bellerophonti pepercit. Post Prœtum Acrisius regno potitus est. *Suidas.*

Cycnus filius Neptuni, regnavit in Colonis. Colonæ autem erant in terra Trojana, contra insulam, cui nomen Leucophrys, Porrò, cùm Cyenus haberet filiam Hemethecam, ac filium Tennen ex Proclea (ea fuerat Clyrii filia, soror Caletori, quem Homerus Iliados o tradit interfectum ab Ajace, quòd iis in Protesilai navim ignem injecisset) ea defuncta, Philonomen Craugasi filiam duxit. Quæ cùm adamaret Tennen, ac rejecta fuisset, mentitur apud maritum, quòd ipsa nolens ab eo fuerit de stupro sollicitata. Dum uxoris mendacio persuasus, Tennen unà cum sorore cistæ inclusum abiicit in mare. Cæterùm incolumes appulsi sunt in insulam Leucophryn, cui post à Tenne nomen versum sit
F Tenedos. Cynenus tandem ubi comperisset se deceptum, navigat ad filium, simul & agnitus errorem suum, & veniam deprecatus. Cùm autem appulisset Cycnus, & navim ab arbore quapiam, aut saxo relegasset, Tennes præ iracundia securi funes incidit. Unde proverbium dici cœptum de iis, qui pertinaciter negant aliquid: Hic est qui Tenedia securi hoc, aut illud incidere posset. Huic non dissimilis historia refertur in proverbio: Tenedius homo, *Eras. in Adagiis.*

Hippolytum Theseus, quem ex Antiope Amazone tulerat, Trœzenem miserat nutriendum. Qui cùm adolescere cœpit, ad mysteria in Atticam profectus, ubi primùm in conspectum venit, cœptus est perditè à Phædra noverca adamari. Inde cùm Theseo ad Pitheum in Trœzenem profecta, Hippolyti concubitum petiit. A quo præter opinionem repulsa, irarum plena cum Theseo Athenas revertitur. Hic multa de privigni audacia, & temeritate questa, se incesti ab eo interpellatam, cùm Trœzene esset, absentem falsò criminatur. Atrocitate criminis consternatus Theseus, per internuncium Hippolyto significari jubet, rescivisse patrem, quas, loci opportunitatem nactus, novercæ insidias retendisset. Vehebatur tum fortè curru Hippolytus: qui mulieris artem, sceleusque agnoscens, factam apud patrem ab ea fidem ratus, doloris magnitudine turbatus, cùm jam minùs sibi, ac minùs constaret, habenæque manibus excidissent: equis subito casu consternatis, distra-
G ctus interiit: Hippolyti morte Athenas nunciata, Phædra & ipsa sibi mortem consciv it. *Sab. lib. 6. Enn. 1.* Extat de hoc ipso in prima Græcorum Epigrammatum tale:

μητρυιὰ προχόνισιν ἀεὶ κακὸν, οὐδὲ φιλόσαι
σώζεται, φαῖδρα γυῖδε, τὸ ἱππόλυτον.

Phinæus Rex Thraciæ ex Cleopatra duos filios habuit: ea mortua Idæam novercam filiis superinduxit. Hæc calumniis, falsisque accusationibus cùm se à privignis violatam esse diceret, effecerat, ut hos pater verberibus cœsos in tertam defodi vivos imperaret. Verùm hi ab Argonautis duce Hercule liberati sunt, & noverca falsi crimine convicta, à proprio patre Scytha, morti adjudicata est. *Diod. lib. 4.*

Mariamne regina, Judæorum regis Herodis uxor, falsis veneficii accusationibus circumventa, ducta est ad supplicium. Id conspicata Alexandra mater, & intelligens simile exitium sibi expectandum ab Herode: volens ostendere se non esse conscium ejus criminis, cœpit filiæ convicium facere omnibus audientibus, scelestissimam, & ingratam erga virum clamitans, dignamque tali exitio, quæ ausa sit tam immane facinus: non enim pro merito tractatum maritum aman-
H tissimum. Hæc illa turpiter fingentem, (cùm ejus tamen consiliis Mariamne erga maritum motosior fuisset) & involatura, ut videbatur capillos miseræ, etiam alii meritò damnabant ineptam ejus simulationem. Sed in nemine hoc magis apparuit, quàm in ipsa, quæ ducebatur ad interitum: nam neque verbo ullo eam dignata est, neque vel tantillum intemperie ejus perturbata, excelso animo improbare se illius turpem dementiam vultu significabat, ipsa intrepida specie, ac ne colore quidem metu mortis mutato ibat, generosam indolem extremo quoque suo tempore præferens. *Joseph. lib. 15. c. 11. Antiq.*

## UXORUM PERFIDIA ERGA MARITOS.

### NON OBEDIENDO.

Uxores inobedientes.

Vasthi regina Assuero regi obedire recusans, thoro, atque sceptro regio exuta fuit. *Est. 2.*

Messalina

Messalina Claudii Cæsaris uxor, in causa fuit, ut multi à
A Cæsare occiderentur. Illa enim cùm aliquem interfectum cuperet, maritum perterrefacere solebat, insidiatorem incusans. Harum autem cædium initium fuit à Cajo Appio Sylvano, quem Claudius occidi jussit, propterea quod Messalinam offenderat libidinosam fœminam, cum qua coire noluerat. *Xiphilinus in Claudio.*

Constantinus Ducas Imp. moriturus, ab Eudocia conjuge jusjurandùm scriptum exegit, quo promitteret se à secundis nuptiis temperaturam. Ea syngrapha ab illa confirmata, patriarchæ custodienda est tradita. Quam illa tamen astu recuperavit, & Diogeni nupsit. *Zonaras.*

## IMPERANDO VIRIS.
### Uxores imperiosæ.

☞ *Arist. Politicorum primò, ὁ ἄρχων καὶ ὁ ἄρχομενος natura distinguit ostendit, ut mas quidem imperet, femina verò obediat, colat, revereatur. Quòd si ordo nunc invertatur, vel vi, vel voluntate, Injustitia naturalis erit. Ut enim Appetitus in homine nihil per se recti agit, nisi Rationis ductum se-*
B *quatur: ita quoque fieri vix potest, ut femina, quatenus femina, (dari ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) dari enim Heroinas, quis neget aliquid laude dignum præstet, eo progressa temeritatis, ut marito contra naturæ legem imperare contendat: nisi fortè ea sit virorum ignavia, ut à feminis viros gubernari præstet. Exempla ergo partim eorum, qui voluntate feminis parent, cum publicè, tum privatim, partim earum, quæ virorum imperium violenter detrectant, non obediunt, debito denique honore non afficiunt, referemus. Ipsi γυναικοκρατούμενοι hujus sunt loci, respectu Uxorum, quæ viris imperant, & in fide deficiunt: ac respectu Virorum, qui nimium tribuunt amori conjugali, ad Fidei excessum referri debent.*

Sauromatas hoc præcipuum habere ferunt, ut viri sub imperio uxoris, & famulatu sint. *Alex. ab Alex. lib.4. c.8.*

Uxoribus semper Lacedæmonii dicto audientes erant, plusque de negociis publicis cum illis, quàm secum illæ communicabant de privatis. Erant etiam ferè penes mulieres, opes Laconicæ. *Plut. in Agide* scribit *Rhetoricum primo Aristoteles*; Quibuscunque civitatibus res muliebris malè habeat, sicuti Lacedæmonis, videri iis ferè dimidium abesse felicitatis.
C *Cœlius lib.18. c.1. Antiq. Lect.* Domesticis negociis dominabantur, & in publicis sententiam dicebant de maximis rebus cum auctoritate. *In politicis Aristoteles* scribit, illas viliter vivere solitas, ac fuisse in omnem licentiam dissolutas. Itaque necessarium erat, in tali Republ. divitias haberi in pretio, cùm essent viri mulieribus obnoxii *Cœlius lib.13. c.33. A. L.* in re uxoria à Lycurgo Spartano haud tam pudicitiæ quàm procreationi ob assiduam malitiam est consultum, & eò usque uxoribus indultum, ut eas viri Heras appellarent. Unde adagium illud ortum, ut Laconia mulier (Gorgonem fuisse ferunt, Leonidæ uxorem) quæ probro à muliere quadam lacessita, dicente: Μόνοι σὺ δὲ ἀνδρῶν ἀρχεις ὁ λάκαινα, id est, Solæ viris imperatis, Lacedæmoniæ respondebat: Μόνοι γὰρ γαμεῦν ἀνδρας, id est, Solæ enim parimus viros *Plutarch. in vita Lycurgi, & Sab. lib.1. En.2.*

De mulierum Romanarum potentia differens M. Cato: Omnes, inquit, mortales mulieribus imperant, nos omnibus mortalibus, nobis mulieres. Cærerum hoc ex Themistoclis
D facetiis traductum est. Ille namque, cùm magnopere dominaretur in se per matrem filius: Populus Atheniensis, ò mulier, inquit, Græcis imperat, ego populo Atheniensi, tu mihi, tibi filius: quare temperet à potestate, qui ingenio ille plus Græcis pollet. *Plut. in Catone.*

Cleopatra Ægypti regina, suis amoribus pellectum M. Antonium, ut Augusto rebellaret, effecit. Eum autem ad Actium navali prælio victum deseruit, & se sequi exercitu relicto, amore dementem coegit. *Josephus lib.2. contra Appionem.*

De Polla, *Martial. Epigrammat. lib.10.* sic scribit:

*Custodes das Polla viro, nec accipis ipsa:*
*Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.*

Euphrosyna Alexio Angelo Imp. marito imperat. *Vide Tit. Reges superbi.*

## AD IDOLOLATRIAM
### Pelliciendo.

Achab Israelitarum Rex, sceleratissimus evasit stimulis Jezabelis uxoris, Sidoniorum regis filiæ 3. *Reg. c.21.*

## AD FALSUM TESTIMONIUM
### Inducendo. E

Cicero in P. Clodium testimonium dixit (cujus fideli opera in Catilinæ conjuratione usus fuerat) verum quidem, non dixisse tamen visus est veritatis causa, sed uxori ut satisfaceret Terentiæ. Simultas huic cum Clodio erat causa fororis Clodiæ, quam ambire Ciceronis nuptias suspicabatur, & eam ad rem interprete uti Tullo quodam, cui familiaritas cum Cicerone, & consuetudo intercedebat arctissima: qui, quod ad Clodiam frequens ventitaret, & coleret vicinam, in suspicionem venit Terentiæ. Acerba autem mulier, & viri potens stimulavit Ciceronem ad conspirandum contra Clodium, ad eum testimonio suo perimendum. *Plut. in Cicerone.*

## INTERFICIENDO.

Danaus Beli filius, quinquaginta habuit Filias, quæ totidem Ægysthi filiis nupserunt: factaque simul conjuratione, omnes maritos nocte una interfecerunt, præter Hypermnestram, quæ Lynceo viro pepercit. *Vide Tit. Crudelitas erga fratres.*

Redeuntem ab expeditione Agamemnonem Clytæmnestra uxor interfecit, auxiliante Ægystho, quo cum stupri
F consuetudinem habebat.

Athenienses, nonnullique alii scriptores asserunt, Semiramidem, cùm pulchra, decoraque forma esset, à rege Assyriorum Nino præter modum dilectam. Cùm ejus vitæ integritas vulgata admodum foret, persuasisse viro tradunt, ut quinque dies se solam regnare pateretur. Quo impetrato, sceptro regni, stolaque regia sumptis, prima die splendidum convivium fecisse, inque eo omnes duces principesque adegisse, ut sibi veluti reginæ parerent. Secunda die, cùm populares, primarique se tanquam reginam colerent, viro in carcerem truso, magnoque animo cum cepisset regnum, ad senium usque, multis à se præclarè magnificeque gestis, tenuisse. Mortuo certè Nino nulli amplius nubere voluit, ut sola
B que traheret vitam, decumbens in lecto, nihilque aliud quàm mortem optaret. *Cedrenus.*

Constantia Henricum VI. Imp. maritum veneno sustulisse creditur à quibusdam, ob crudelitatem, qua Guilielmus V. Siciliæ regem, suum ex fratre Tancredo nepotem regno dejectum, cum sororibus tribus in Germaniam ablegatum castraverat. *Collenucius lib.4. hist. Neapol.*

Sub Clemente VII. Pontifice, Neapolitanorum Rex Robertus sine stirpe virili moriens, Joannam filiam Andreæ, nepotis sui, Caroli Regis Ungariæ filio, uxorem dedit. Verùm Joanna hominem socordem perosa, cum per insidias interemit, alterique fratrueli nupsit, Ludovico olim Tarentini Principis filio, quem Roberti fratrem fuisse constat. Ludovicus Rex Ungariæ primi mariti frater, tantùm scelus ulturus, cum paratissimo exercitu in Italiam venit, & Sulmone post longam oppugnationem potitus, regnum facilè occupavit, abeuntibus in provinciam Narbonensem ob timorem Joanna, & adultero Ludovico, relicto ad regni custodiam duce Dyrrachino, Roberti regis nepo-
C te: quem Carolus prælio superatum, & captum, ultimo supplicio affecit. *Platina, & Ritius lib.3. Regum Neapolitanorum.*

Elisabetha Flisca, Lucæ filia, Luchino Vicecomiti, qui rerum Mediolani cum Archiepiscopo Joanne fratre potiebatur, ac Stephani fratris mortui filios in exilium egerat, nupta, deprehensa cum Ugolino Gonzaga, Ludovici Mantuani principis filio, ne quis superesset vindex sceleris, non modò virum veneno sustulit, verùm palàm etiam testata est, Luchinum atque Ursinam, non ex viro, sed ex nepote ejus Galeacio, conceptos esse. Itaque ambobus Papiæ in carcere conditis, Galeacius ac Bernabos, Stephani filii, ab exilio revocati, in rerum Mediolanensium administratione successerunt. Per hunc modum scelerata mulier cùm turpis vitæ pœnas dare metueret, virum ulta, filios imperio, & se boni nominis honore privavit. *Fulgosus lib.9. c.11.*

Galeotus Manfredus bello intestino, quod cum Carolo fratre gesserat, victor principatum Faventinum occupave-
D rat, homo præter militiæ gloriam cumprimis doctorum hominum studiosus. Eum Uxor cùm se gravi morbo correptam simulasset, in abdita cubiculi parte, interfectoribus collocatis, ad se invisendi causa advenientem, interficiendum curavit. Causæ variæ ferebantur: alii id viri odio, quòd nobilium feminarum consuetudine liberius uteretur, quàm maditionii jura postularent: alii patris Imperio, qui ejus urbis Florentinis sese commiserunt, inde paulò post, id enixè Faventinis postulantibus, jus ejus urbis Venetis. Qua ex re Julius II. Pontifex tegendæ cupiditatis occasione arrepta, magno exaltato in Italia incendio, Europam universam funesta belli face inflammavit. *Brutus lib 8. histor. Florentinæ.*

Prialupas Ætoliæ princeps Tryballus, cùm adjuvaret Albanos, eorumque ducem Spatam, in bello, quod gestum est cum Italis, Arten metropolim Acarnaniæ obsidentibus, Izausa, adolescentem ducit in cubiculum, in quo quiescere solitus erat Prialupa dux: ibique adjuvans adolescentem mulier, Priapas occisus est, & ipse ad Imperii gubernacula ascendit. Cùm



Pado, nocturno Ravennam in itinere properavit, secum Al-
A bifindam Regis filiam cum Rosimunda, & Peredoo cædis socio, & universo Longobardorum thesauro deferens. Longinus cùm benignè omnes accepit, tum præcipuè Rosimundam omni blanditiarum genere coluit. Quo facto haud ægrè inde mulieri persuasit, ut spe matrimonii sui Helmingem maritum extingueret. Quare mulier prava extemplò libidine conjugii splendidioris accensa, Helmingi è balneo exeunti pestiferum poculum pro salutari porrexit. Quo magna ex parte jam hausto postquam venenum ille se bibisse animadvertit, extemplò clamavit, atque eam, quod reliquum erat, haurire nudo in pectus intentato gladio compulit, ita ambo unius horæ momento vi veneni præsentis absumpti, meritas parricidii pœnas luerunt. *Sigon. lib.1. regn. Ital.*

Zoe Romani Argyropoli Imp. uxor, Michaelis cujusdam argentarii diro, atque insano amore correpta, arcanis colloquiis in adulterii cum eo consuetudinem pervenerat: utque hunc Romanum maritum absque ulla flagitii suspicione amolita, Imperatorem crearet, maritum venenis, non iis celerem adferentibus interitum, sed lentissimis, ita confecit, ut is durissimis excarnificatus morbis miserandam toleraret, at-
B que traheret vitam, decumbens in lecto, nihilque aliud quàm mortem optaret. *Cedrenus.*

Constantia Henricum VI. Imp. maritum veneno sustulisse creditur à quibusdam, ob crudelitatem, qua Guilielmus V. Siciliæ regem, suum ex fratre Tancredo nepotem regno dejectum, cum sororibus tribus in Germaniam ablegatum castraverat. *Collenucius lib.4. hist. Neapol.*

Sub Clemente VII. Pontifice, Neapolitanorum Rex Robertus sine stirpe virili moriens, Joannam filiam Andreæ, nepotis sui, Caroli Regis Ungariæ filio, uxorem dedit. Verùm Joanna hominem socordem perosa, cum per insidias interemit, alterique fratrueli nupsit, Ludovico olim Tarentini Principis filio, quem Roberti fratrem fuisse constat. Ludovicus Rex Ungariæ primi mariti frater, tantùm scelus ulturus, cum paratissimo exercitu in Italiam venit, & Sulmone post longam oppugnationem potitus, regnum facilè occupavit, abeuntibus in provinciam Narbonensem ob timorem Joanna, & adultero Ludovico, relicto ad regni custodiam duce Dyrrachino, Roberti regis nepo-
C te: quem Carolus prælio superatum, & captum, ultimo supplicio affecit. *Platina, & Ritius lib.3. Regum Neapolitanorum.*

Elisabetha Flisca, Lucæ filia, Luchino Vicecomiti, qui rerum Mediolani cum Archiepiscopo Joanne fratre potiebatur, ac Stephani fratris mortui filios in exilium egerat, nupta, deprehensa cum Ugolino Gonzaga, Ludovici Mantuani principis filio, ne quis superesset vindex sceleris, non modò virum veneno sustulit, verùm palàm etiam testata est, Luchinum atque Ursinam, non ex viro, sed ex nepote ejus Galeacio, conceptos esse. Itaque ambobus Papiæ in carcere conditis, Galeacius ac Bernabos, Stephani filii, ab exilio revocati, in rerum Mediolanensium administratione successerunt. Per hunc modum scelerata mulier cùm turpis vitæ pœnas dare metueret, virum ulta, filios imperio, & se boni nominis honore privavit. *Fulgosus lib.9. c.11.*

Galeotus Manfredus bello intestino, quod cum Carolo fratre gesserat, victor principatum Faventinum occupave-
D rat, homo præter militiæ gloriam cumprimis doctorum hominum studiosus. Eum Uxor cùm se gravi morbo correptam simulasset, in abdita cubiculi parte, interfectoribus collocatis, ad se invisendi causa advenientem, interficiendum curavit. Causæ variæ ferebantur: alii id viri odio, quòd nobilium feminarum consuetudine liberius uteretur, quàm maditionii jura postularent: alii patris Imperio, qui ejus urbis Florentinis sese commiserunt, inde paulò post, id enixè Faventinis postulantibus, jus ejus urbis Venetis. Qua ex re Julius II. Pontifex tegendæ cupiditatis occasione arrepta, magno exaltato in Italia incendio, Europam universam funesta belli face inflammavit. *Brutus lib 8. histor. Florentinæ.*

Prialupas Ætoliæ princeps Tryballus, cùm adjuvaret Albanos, eorumque ducem Spatam, in bello, quod gestum est cum Italis, Arten metropolim Acarnaniæ obsidentibus, Izausa, adolescentem ducit in cubiculum, in quo quiescere solitus erat Prialupa dux: ibique adjuvans adolescentem mulier, Priapas occisus est, & ipse ad Imperii gubernacula ascendit. Cùm autem sibi tyrannidem ad eum modum parasset, nemini nisi
E mulieri soli placebat. *Chalcocondylas lib.4.*

## PRODENDO HOSTIBUS.
### Sicariis.

Deiphobus insidiis Helenæ (quam post mortem Paridis conjugem duxerat) occisus est, toto corpore inhonestis plagis deformato.

Adrastus Argivorum Rex, Polynicem Thebas reducturus, adscivit in belli societatem Capaneum, Hippomedontem, Parthenopeum Atalantæ Schœnei. Suadebant amici Polynicis, ut ad bellum Amphiaraus vates duceretur. At is cùm prævideret, si ei bello afforet, se perituram, idque propterea recusaret: ferunt, Polynicem aureum torquem à Venere Hermoniæ Cadmi datum, Amphirai uxori, quò belli societatem viro persuaderet, donasse. Eo tempore Amphiaraus, Adrastusque de regno dissidentes, ad Eriphilen Amphiarai conjugem, Adrasti sororem, omne dissensionum judicium retulerunt. Illa pro Amphiarao sententiam tulit, adiciens, ut belli Thebis inferendi socius, adjutorque esset. Amphiaraus existimans se ab uxore proditum, ad bellum spopondit se iturum: sed Alcmæoni filio imperavit, ut post suum obitum Eriphylen perimeret. Ipse ad bellum profectus, ad
F vicum Bœotiæ Harma unà cum equis, & curru terræ hiatu absorptus est. Ejusdem Hermiones peplum accepit Eriphyle à Thersandro Polynicis, quò filium Alcmæonem ad expeditionem Thebanam hortaretur cum Epigonis. *Diodor. lib.4. c.6.*

Vitium Salassum proscriptum, & latentem Uxor interficiendum, quid dicam tradidit? an ipsa jugulavit? Quanto enim levius est scelus, cui tantummodo manus abest? *Val. l.9. c.11.*

Zelotypa Fulvii Uxor, in virum proscriptum crudelis, atque ingrata fuit. Nam cùm ad eam Fulvius, tanquam ad conjugem, & propterea, ut rebatur, sui amantem, & fidelem (servam enim liberaverat, & conjugio dignatus erat) ut aliquo modo occultaretur, se recepisset, mutatam animo, atque indignatam, quòd alterius feminæ captum amore suspicabatur, pro conjuge hostem invenit. Ab ea enim Triumviris accusatus, miserandum in modum periit. Hinc quantæ sint zelotypiæ vires, deprehendi potest, cùm tantorum meritorum, quanta hæc à Fulvio, de serva uxor facta, acceperat, extincta
G recordatione, ad hujus ingratitudinis scelus, impietatemque progressa est. *Fulg. lib.5. c.1.*

Mæonius consobrinus Odenati Palmyreni Imp. consensu Zenobiæ uxoris ejus, Odenatum virum acerrimum, & bellicosissimum, interfecit: quòd Zenobia novercali erat animo in Herodem filium Odenati ex altera uxore. *Cusp. A.D.*

Alboinus Longobardorum Rex primus in Italia, Clotosinda uxore, Clotharii Francorum regis filia mortua, Rosymundam Conjundi Gepidarum regis à se prælio cæsi filiam uxorem duxerat. Ex soceri calva more gentis poculum fecerat, quo in solemnibus epulis uteretur. In convivio vino gravior coegerat Rosimundam calva patris bibere. Ea mox illam indignitatem ulta est, Amechilde, vel Helmige formosissimo, ac audacissimo juvene in necem viri dormientis impulso, pactione nuptiarum. Mortem Alboini tali tempore proceres Longobardorum indignè tulerunt. Parricidæ ad Longinum Exarchum Ravennam se propiuere. Longinus dominandi amore captus, suasit ut Helmigim clàm interficeret, & sibi posteà nuberet. Illa consilium laudans, Helmigi, postquam ex balneo exiverat, poculum cum veneno porrigit. Is ubi sensit se mor-
H tis poculum bibisse, Rosimundam evaginato gladio, ex eodem poculo, quod reliquum erat bibere coegit: sicque ambo perierunt. *Æmil. lib.1.*

Theophano Augusta consuetudinem Nicephori Imper. mariti aversans, Joannem Zimiscem, (qui Domestici Magistri officio ab Imp. dejectus domi suæ se continere jussus fuerat) per ejus familiarium quendam vocat: atque cum noctu ex portu impositum corbi cum sociis in palatium attrahit. Illi Imperatoris cubiculum intrant: cumque eum non invenirent in consueto lecto, detectas insidias esse suspicantes, jam seipsos erant præcipitaturi, nisi homuncio quidam obtigisset ex gynæceo, quo duce in solo jacentem Nicephorum Phocam invenerunt. *Cusp. A.D.*

Chilpericus, Suessionum, & Parisiorum Rex, auctus filio Clothario, quatuor post mensibus domesticis insidiis, probroque uxoris Fredegundis cecidit. Eam scribunt dum formæ curandæ intenta, capillum in sole siccat, pectitque, à marito per lusum furtim superveniente virga à tergo leviter percussam, risu oborto: Mi Landrice, dixisse, frontem vir fortis pete,

mox

mox discriminatis capillis conversam, marito conspecto at-
A tonitam reticuisse: illum caput quassantem ad suos in equis
præstolantes regressum, venatum, ut constituerat, contendisse. Landricus erat procerum longè pulcherrimus, idem Magister equitum. Is continuò edoctus à Fredegunde, sua eam voce proditam, amoresque deprehensos, imminens certumque periculum à se avertens, duos ex fidis percussores exemplò Chilperico paravit: qui eum sera jam nocte redeuntem, dum ex equo ab adolescentulo, aliis digressis, fessus mœrensque excipitur, singulis omnino vulneribus confoderunt: re tam providè acta, ut quasi externis insidiis interempto discursum sit in sylvam, quod eò parricidas se propiuisse, ex composito conclamabatur. Cæterùm illi per dissimulationem se trepidantium, cursitantiumque turbæ immiscuerant. Hæc ad Calam Parisiorum vicum acta. Ementiebatur Fredegundis immissos à Brunechilde id scelus perpetrasse, ut Childeberto filio id quoque regnum morte Chilperici eveniret. Landricus nullo conscientiæ signo edito, quibus assueverat rebus administrandis se reddidit: nec muliebre scelus ulli prius suspectum quàm mulieri fuit. Prima Brunechildis vociferari cœpit uxoris consilio, sed alterius dextra Chilpe-
B ricum cecidisse. Guntranus Aurelianorum Rex, patruus tutelam Clotharii infantis regis suscepit, summaque fide gessit. *Æmil. lib. 1. ex Gregor. Turonens. lib. 4. cap. 29. & lib. 5. cap. 1. & lib. 13.*

Ingemarus Gothorum, & Suconum Rex, contra Haraldum Daniæ regem bellum susceperat. Uxorem habebat Danam, Haraldi consanguineam, quæ inita cum proceribus conspiratione, admissis clàm intra cubiculum latronibus, maritum à summa trabe catena aurea suspendi procuravit, non procul ab eo loco, in quo nunc Holmensis civitas ædificata conspicitur. Scelere cognito, præcipui amici regis Ingemari unà cum fratre ejus Olavo reginam in recenti crimine deprehensam, vivam defoderunt. Deinde Ingello Ingemari filio ad regni solium sublimato, Danos adorti, ipsos & eorum regem Haraldum in fugam converterunt. Ingellus victoriam persequens, classe comparata Daniam invasit, & Haraldo ad interiora regni confugiente, Haraldi sororem raptam abduxit, & in uxorem duxit. Quæ cùm impudicissimè multis sese prostitueret, Rex Ingellus ea de
C re admonitus, cùm monitoribus acriter succensset, à fratre inter jurgium occisus est. Et ita duo fortissimi reges Sveciæ, pater, & filius, à duabus Danicis mulieribus infeliciter perditi, documentum posteris reliquerunt, ut in simili rerum eventu majorem prudentiam adhibere contendant. Narrant Danorum historiæ, omnes eorum reginas ex Svecia adductas, semper fuisse continentissimas, & optimas, suosque maritos felicissimos effecisse: at illas, quæ ex Dania in Sveciam venerant, dissimiles fuisse, historiæ ostendunt. *Joan. Magnus lib. 8. cap. 3. & 4.*

Elisabetha Britannorum regina, in Galliam ad Carolum fratrem, cognomento Pulchrum, visendum profecta: posteaquam Eduardum III. peperit, ortis inter virum, ac fratrem discordiis, in Britanniam à viro revocata, cùm sciret ei dedecora sua non ignota esse, à fratre, Britannisque seditiosis adjuta, partim vi, partim dolo virum Eduardum II. adorta cepit, atque in carcere jussit occidi: ipsaque sub filii nomine Regnum administravit. Verùm post aliquot annos deprehensa
D cum Rogerio Mortimero adultero, à filio in vincula conjecta est. *Fulgos. lib. 9. c. 11.*

Ann. 1488. Galeotus Manfredus, Faventiam obtinens, admissis noctu ab Uxore sicariis, suo & ipse in lectulo confossus, oppidum tumultu, & seditionibus implevit. *Bembus lib. 1. Venetæ historiæ.*

Galeotus, Forolivii princeps, Joannis Bentivoli filiam duxit in vorem: à quo dum sperneretur puella, simulata ægritudine, sicarios subornavit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. *Volaterranus.*

## NON LIBERANDO.

Intaphernis Uxor capto fratre, & marito, & unius captivi liberatione donata, marito fratrem anteposuit. *Herod.*

Francisscum Gonzagam Mantuanum principem Veneti è custodia eductum Nicolao Ursino mortuo, suo præficere exercitui volebant, si filium daret obsidem. Lacrymans annuit ille. Verùm Uxor parere viro noluit, neque filium ab se dimittere. Alfonsi enim ducis Ferrariensis soror Gallicis rebus magnopere favebat: quibus fore impedimento, si vir Imperium à Rep. oblatum accepisset, pro explorato ducebat: ita ea res exitum non habuit. *Bembus lib. 10. hist. Venetæ.*

## ADULTERIUM COMMITTENDO.

☞ *Vide Tit. pœna Adulterarum. Item Tit. Adulterarum:* E
*Eo ipso enim, quòd stuprum patiuntur, erga maritos sunt perfidæ.*

## ALTERI NUBENDO.

Cleopatra, Ptolemæi Philometoris Ægypti regis filia, nuptui data Alexandro Epiphani Syriæ regi, cum tandem reliquit, & à patri Demetrio Nicanori locata, ex quo Antiochum Grypum sustulit, Demetrio capto à Parthis, Antiocho Soteri fratri Demetrii nupsit, & ei Antiochum Cyzicenum peperit. Sotere à Parthis cæso, Demetrius regno restituitur, & Cleopatram recipit. Verùm ab Alexandro Zebenna prælio victus, ab uxore Ptolemaide excluditur, & ab hostibus captus, Tyri post varia tormenta miserrimè moritur. *Joseph. l. 13. c. 17. Antiquitat.*

Octavius Sagitta Tribunus, Pontiæ mulieris alteri nuptæ amore væcors, ingentibus donis adulterium, mox ut maritum omitteret, emercatus est, suum matrimonium promittens. Ubi mulier vacua fuit, reperta spe ditioris conjugis promissa exuit: Octavius postquam spernitur, noctem unam ad solatium poposcisse dicitur, qua delinitus, modum in posterum adhiberet. Statuitur nox, & Pontia consciæ ancillæ custo- F diam cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum nocte occultum insert, ac nihil metuentem ferro transverberat: accurrentem ancillam vulnere absterret, cubiculoque prorumpit. *Ærodius ex Corn. Tacito, lib. 13.*

Eudoxia fidem Constantino Ducæ Imp. marito datam fefellit, & secundas nuptias inivit.

Sigismundo Imp. morti proximo, Barbara Imperatrix de regno sollicita, ad se clàm Boemiæ convocat regulos, iisque multis sermonibus persuadet, ad cavendas turbas post mortuum Cæsarem futuras, eam esse quietis viam, si se viduam Poloniæ Rex ducat uxorem. Pollicentur operam Boemi proceres. Quæ jam anus, filiæ unicæ oblita, novas nuptias meditabatur. Imperator in Moraviam visendæ filiæ causa se vehi jussit, Boemiæ non satis confisus ob incertam fidem. Znoymam venit Imperator, subsecuta Imperatrix carceri traditur. Vocatis ad se utriusque Regni primoribus, illos rogat, atque obtestatur, si se, suosque, ac regna salva esse velint, Albertum Austriæ Ducem generum suum, virtute, nobilitate, animi, præstantia, omnium ea tempestate excellen- G tissimum, successorem suum nominent, atque eligant. Hanc esse supremam suam voluntatem, ut illam expleant, ac corroborent. Annuere Hungari, & Boemi, qui aderant, Albertùmque regem salutarunt. *Cusp. A. D.*

Anno Salutis MCCCCXXIII. Hunfredus Glocestrensis dux, Angliæ rector, Henrico VI. adhuc puero, Jacobinam principem Bavariæ propter divitias in matrimonium duxit, quæ nupta erat Joanni duci Brabantino adhuc superstiti. Armis loca ea, quæ dotis nomine Jacobina in Hannonia possidebat, vindicavit. Martinus V. Pontifex cognita causa, secundas nuptias Jacobinæ cum Brabantino judicavit: suaque auctoritate matrimonium, quod Jacobinæ cum Glocestrensi intercedebat, irritum decrevit. Atque ita re peracta Jacobina ad priorem rediit virum, Glocestrensi non invito, ut potè quem jus æquè rexerat, ac mulieris importunitatem supra modum jam fastidire cœperat. *Polydor. lib. 23.*

## EXPELLENDO.

Ladislai soror Joanna minor, regina Neapolitanorum sa- H
lutata, in matrimonium pacta est Joanni Tarraconensis regis fratri. Lætus adolescens velut ad certas nuptias, regnumque dotale profectus, ex itinere ad suos redit, allato nuncio Neapolitanam nupsisse Jacobo Borbonio Marchiæ comiti, præstanti corpore, formaque, nec virtute inferiori. Jacobum Neapolitani contemnentes, Tarentinorum principatu, ac genialia duntaxat Joannæ thoro contentum, cæterarum rerum administratione, regioque nomine abstinere jubebant. Vir ratus de uxoris sententia hæc agi, caputque conspirationi subtrahendum, de quibus visum est, fupplicium sumit, Joannam in ordinem coactam, in arcem includit. Illa per dissimulationem doloris gratias etiam marito agit, quòd seditiosos coerceat, seque cura rerum tanta mole agendarum levet, quæ virtutem summi viri postulent: sibi tranquillitatem animi, quietemque à fluctibus & externis, & domesticis præbeat. Ita recondita indignatione mulebri, se aulicis lusibus, ludisque, ac deliciis & amplexui mariti dedit. Appellata etiam de conjuratione in Jacobum facienda ab his, qui non ex vultu præsente, sed ex fallaci ejus ingenio non dubitabant ita flagrare, rem ad maritum



maritum defert; auctorque est, ut fontes capite luant. Nul-
A la jam uxor fidelior visa, liber quoque egressus illi permissus, libera cum quibusvis colloquia. Tunc certiore, valdioreque conjuratione facta, è custodia eximitur Sforica: Jacobusque, quam in arcem uxorem clauserat, in eam compulsus obsidetur: Mox, cùm mari arx alluatur, navim nactus Tarentum defertur. Rursus obsessus, certo pondere auri accepto, nulla spe se offendente, ea urbe relicta in Franciam rediit, Joanna à Pontifice in fidem recepta, eo auctore coronatur. Borbonio vivo nubere alteri non poterat, nec eo tanto terrarum tractu dirempto, justos liberos gignere, ad optione adsciscere poterat. Alfonsum Taraconensium regem, cujus fratri spem connubii, regnique ostenderat, Sardiniam prætereà, ac Siciliam insulam in fide habentem, adoptavit, evocavitque. *Æmil. lib. 10.*

## ACCUSANDO.

Salome Herodis regis soror, Josephum maritum suum, Herodis patruum, falsò criminata de adulterio cum Mariamne regina commisso, auctor fuit, ut indicta causa ab Herode interficeretur. Nupta deinde Costobaro Idumeæ præfecto, orta levi controversia, libellum repudii marito misit, præter legitimum morem patriæ: lex enim Judæorum solis ma-
B ritis hoc jus permittit, mulieribus autem ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu. Verùm illa ex propria licentia fecit divortium, & ad fratrem se conferens ait, Se præsumisse fraternam benevolentiam conjugali federi: conspirasse enim eum ad res novas moliendas cum Lysimacho, Antipatro, & Dositheo. Herodes Costobarum cum aliis etiam intimis amicis interfici curavit. *Joseph. l. 15. cap. 11.*

## OBLOQUENDO, CONTRADICENDO, RIXANDO.

In Cornelium quendam argutè invehitur quispiam.

*Cur dominam adversus, Corneli, es semper inaudax?*
*Cur non respondent verbera verberibus?*
*Τὸν δ' ἀπαμειβόμενν, jam dictum plus satis antè est:*
*Nunc age dicatur, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.*

## ARCANA DETEGENDO.

Samson uxori nuper nuptæ, ænigma 30. juvenibus propositum narrat, illa juvenibus aperit. Similiter etiam Dalilæ meretrici roboris sui causam suo malo narravit.

Cùm Galli incursionem facerent in Joniam, civitatesque depopularentur: in Mileto fortè Cereris sacra Tesmophoria celebrantur. Unde mulieres congregatas in templo non procul à civitate Barbari rapuere. Ex iis alias Milesii redemere, alias Barbari secum abducere: è quarum numero Erippe fuit,
C uxor Xanti, hominis magnæ auctoritatis, ac primi generis in Mileto, relicto domi puero bienni. Xanthus magna bonorum suorum parte argento commutata, comparatis aureis mille, primum in Italiam transiit: inde per Massiliam in regionem Celtarum: ubi Erippen cum principe Celtarum nuptam reperit. Ab eo hospitio exceptus, Celtæ persuasit, uti sibi uxorem restitueret. Erippe perfida Celtæ indicat multitudinem auri, suasitque, ut occideret Xanthum, confitens se ipsius amore plus quàm patriæ, & pueri teneri, Xantho verò se penitus esse infestam. Occultavit indignationem Celta, & Xanthum comitatus, ubi ad fines Celticæ pervenit, sacrum se facturum inquiens, Erippen victimæ astare jussit de more, & incautæ caput amputavit: Xanthoque simul revelans insidias ab ea paratas, omne aurum liberaliter illi donavit. *Parthen. de amat. c. 8.*

D Crito Vandalorum Princeps, Christiani nominis persecutor acerrimus, jam confectus erat senio, Henricus Godfscalci principis ad aram ab impiis cæsi filius, egressus è Dania (unde illi maternum, & regium erat genus) Aldenburgum, & totam maritimam Vandalorum provinciam invasit. Crito simulata voluit amicitia juvenem (quem armis vincere non poterat) opprimere. Præmonitus ab Sclavina Critonis uxore Henricus (quæ annis puellaribus senem exosa, ad nuptias aspirabat Henrici juvenis) Critone cæso Sclavinam duxit. Sic occidua Vandalia ad Christianismum redire cæpit. *Crantzius l. 5. Metrop. cap. 34.*

## DESERENDO.

Terentia Ciceronem maritum exulem neque viatico juvit, neque Brundusii eum, cùm diu illic hæreret, invisit: neque proficiscenti eò filiæ adolescentulæ comitatum, aut viaticum præbuit tam longo itinere honestum. Immò vetò domum Ciceroni defoldatam, & planè inanem reddidit, multoque oppressam, & gravi ære alieno. Itaque ab eo repudiata fuit. *Plut. in Cic.*

## MARITI PERFIDI ERGA UXORES.

### IN GENERE. E

Nero Cæsar Octaviæ Claudii Cæsaris ex Messalina F. consuetudinem citò aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere respondit uxoria ornamenta. Eadem mox sæpè frustrà strangulare meditatus, dimisit ut sterilem: sed improbante divortium populo, nec parcente conviciis, etiam relegavit. Denique occidit sub crimine adulteriorum adeò impudenti, falsoque: ut in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum indicem subjecerit, qui dolo stupratam à se fatetur. Popæam Sabinam quæstorio patre natam, duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unicè. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quòd se ex aurigatione serò reversum, gravida, & ægra conviciis incesseret. Antoniam & ipsam Claudii filiam, sed ex Petina, non Messalina genitam, ipsius nuptias pertinaciter recusantem, tanquam res novas moliretur, interfecit. *Sueton. Tacitus lib. 6. Sab. lib. 2. En. 7.*

## IN SPECIE PUTA CÆDE. F

Sohemo amico fidissimo Herodes Rex Judæorum commiserat (quando victo M. Antonio ad Actium, de regno periclitans, quia Antonii amicus fuisset, Cæsari Augusto Rhodio occurrere voluit) ut si quid sibi humanitus accidisset, Mariamnem reginam occideret, ne quis tali forma potiretur. Quæ cùm Mariamne blanditiis à Sohemo extorsisset: Herodes re tandem quæstionibus ab Eunucho cognita, Sohemum indicta causa tanquam adulterum necavit, & Mariamnem dilectissimam, instigantibus matre, & sorore Salome, capitis damnavit. *Joseph. Antiquit. lib. 11.*

Mirantur multi, Periandrum Corinthum inter eos numeratum, quos Græcia Sapientes appellavit, qui Lysidem uxorem (alii Melissam scribunt) in pellicis gratiam interfecerit, sciens, volensque cum Cratea matre concubuerit, filium relegarit, & Corcyrensium natos Haliarti castrandos miserit. *Herodotus.*

M. Cæcilius *apud Plin. lib. 27.* accusat Calphurnium Bessiam, quòd dormientes uxores veneno peremit.

Ad Picentinum. *Martial. lib. 9.*

*Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,*
*Picentine: sequi vult, puto Galla viros.* G

Theodahatum, Amalafredæ reginæ F. ob Etruriam, cui præerat, expilatam, Amalasventa regina judicio convictum, sua cuique restituere compulerat. Subiit inde cogitatio animum præstare, ut post mortem filii Athalarici Gothorum regis, quæ sæviente morbo non longè credebatur abesse, ipsum ad regnum proveheret, atque opes suas illius erga se studio confirmaret. Itaque, accersito illo, cùm sibi infensum existimaret, hac oratione demulcere contendit: Se, quòd illum judicio condemnasset, justam afferre causam posse: ipsum enim Gothis purgatum esse doluisse, ut, filio mortuo cùm nemo præter eum ex Theodorici genere superesset, cum posset sine aliqua Gothorum criminatione provehere: id autem se pro explorato facturum, si ipse mores mutaret, & jurejurando affirmaret, se titulo regni contentum, sibi administrationem imperii permissurum. Theodahatus extemplò in speciem omnem animo offensionem abjecit, ac tanto beneficio accepto, perpetuò fore se in ejus arbitrio, ac potestate, sanctissimo se sacramento adegit: atque ita Athalarico mortuo, jubente H
Amalasventa, à Gothis ad regnum est evocatus. Inde veteribus simultatibus animo repetitis, omne suum studium ad ulciscendam ipsam, cui omnia debebat, Amalasventam convertit. Itaque propinquos inimicorum ejus reduxisse ab exilio non contentus, necessarios etiam morte affecit, atque ipsam demum per causam conservandæ inter Gothos concordiæ in lacus Vulsiniensis insulam relegavit, ibique firmo custoditi præsidio jussit, cùm nondum legati ad Justinianum missi in Græciam pervenissent. Veritus autem, ne cam rem Justinianus Imp. iniquo animo ferret, Liberium, & Opilionem senatores summisit, qui se nihil duriùs in eam consuluisse, licèt gravissimè provocatum, docerent: atque Amalasventam in eandem, quam ipse, sententiam scribere compulit. Liberius sincerè, ac verè omnia, ut acta erant in Amalasventam, exposuit: alter verò Opilio Theodahatum crimine frustra nisus est liberare. Interim Gothi Amalasventæ inimici Theodahati persuaserunt, præsens vitæ ejus periculum imminere, nisi

nisi Amalasventæ vitam eripuisset. Itaque permissu ejus ad in-
A sulam, in qua erant, venerunt, atque eam in balneo strangularunt. *Sig. lib.17. Im. occ ex P. Diac.*

Dacianus Præses Alexandram uxorem à B. Georgio ad fidem conversam, suspendi fecit, & interfici.

Justina nobilissima Romana virgo, ætatis suæ puellas forma supergressa, cum locupleti quidem, sed stolido, & furenti Viro in matrimonium esset tradita, de excellenti illa specie in suspicionem marito venit: qui candidissimæ uxoris cervicem conspicatus, inclinantis se ad exuendum calceum, furore ex zelotypia correptus, teneram puellam, & novam conjugem obtruncavit, de quo facinore est illud *Epigramma ex Laud. lib.1. de hist. fœm. Christianæ.*

*Immitis ferro secuit mea colla maritus,*
*Dum poperò nivei solvere vincla pedis.*
*Durus, & antesborum, quo nuper nupta coivi,*
*Quo cecidis nostræ virginitatis bonos.*
*Nec culpa meruisse necem, bona numina testor:*
*Sed jaceo fati sorte perempta mei.*
*Discite ab exemplo Justinæ, discite patres*
*Ne nubat fatuo filia vestra viro.*

B Chilpericus Clotharii filius, Glosindam uxorem, Athanagildi Gothorum regis filiam, suasu Fredegundæ pellicis, noctu jugulavit. *Volaterranus.*

Richardus III. Anglorum Rex uxorem sterilem veneno necavit. *Polydorus.*

Lucardis, Præmissi ducis majoris Poloniæ uxor, à pedissequis suis jugulata est, ann. Chr. 1283. Nec expers hujus culpæ Præmissus, quòd ne quæstionem quidem de scelere habuisset, nec pœnas exegisset, habitus, & vulgari crimine notatus est. Causa hujus parricidii Præmisso ea fuisse fertur, quòd nullos ex ea susciperet liberos. Quasi verò id in arbitrio sit cujusquam, ac non divinitùs concedantur liberi. Sed non inultum id scelus tulit Præmissus. Quamvis enim alteram uxorem duxisset non multò posteriùs, Rixam Sveciæ regis filiam, tamen ex ea quidem mares liberos reliquit, unicam filiam Rixam. Ad regnum Poloniæ evectus, insidiis Marchionum Brandeburgensium miserè confossus, septimo regni mense. *Cramerus lib.10. & 11.*

C Philippus Vicecomes Dux Mediolanensis, cùm adolescens esset, & propter Joannis fratris immanitatem, magna paterni imperii parte amissa, pars, quæ supererat, magno in discrimine versaretur, omnium egens, Beatricem Facini Canis militarium copiarum suarum ducis uxorem, ipsius Facini hortatu, qui paulò post decessit, in matrimonium duxit: quia & militum animos, qui ei affueverant, & pecuniam, qua facinus abundabat, cum nuptiis secum trahebat. Ejus igitur ope compositis rebus, quia ætas longè disparerat, neque Philippo conjux, sed avia superinducta videbatur, ut se gravi matrimonio liberaret, uxorem adulterii cum Orumbello citharœdo admissi ream, nec in tormentis quicquam contra pudicitiæ decus confitentem securi percussit, impatis, ut ferunt, conjugii pertæsus, cujus tamen non dubiis opibus ad imperium pervenisset, ut demùm Amadei Sabaudi filiam eventu sterilem duceret, non sine dote modò confectis nuptiis, verùm ut soceri societatem promereretur, ultrò traditis Vercellis. *Jovius in Philippo, & Fulg. lib.5. c.3.*

D Fridericus Celejæ comes ob amorem concubinæ Veronicæ, quam pater ejus in profluentem demergi curaverat, uxorem legitimam ex Croatiæ comitibus natam, miserè interfecit: atque deinde inter scorta vitam turpissimam agens, ignominiosè vitam cum morte commutavit. *Æen. Sylvius in Europa, c.21. & lib.1. Com. in res gest. Alphonsi regis.*

INSIDIIS.

Olaus Rex Norvegiorum, Sigritham Sveciæ reginam ambiens, eam conversò in aliam amore perdere studuit. *Vide Tit. Inimicitiæ, & Odium astutè excitare, fovere.*

ADULTERIO.

☞ *Vide Tit. Adulterium.*

Alexander Primi F. Cebrenis filiam Oenonem fatidicam in uxorem duxit, pollicitus, se nunquam illam desertum. Illa prædixit ei, quòd Helenam non multò post rapturus sit, & patriam perditurus, vulneratum insuper in bello non nisi suis remediis sanatum iri. Ridebat tamen Alexander. Verùm rapta jam Helena, Oenone ad patrem reversa est. Vulneratus à Philoctete Paris, Oenonem per præconem accersiri curat. Zelotypa illa, ab Helena auxilium petere jussit: victa tamen amoris impotentia festinabat ad Paridem. At quia præco responsum ab Oenone citiùs retulisset, præ animi molestia Alexander expiravit. Oenone superveniens cùm mortuum jam in terra jacentem videret, seipsam interemit. *Parthen. in Eroticis cap.4. ex Nicandro in lib. de Poetis, & Cephalone Gergithio in Troicis.* E

REPUDIO.

Jason perfidus erga Medeam uxorem. *Vide Tit. Conjugum sævitia mutua, ob quamcunque offensam.*

Cn. Pompejus uxori Antistiæ, cujus pater Syllano bello, quòd Pompejanus haberetur, interemptus fuerat, sine legitima causa repudium misit, ut Æmiliam Syllæ privignam duceret. Syllæ favorem, virtuti, & caritati Antistiæ, atque soceri pro se sparso sanguini, antepositi. Antistiæ mater sibi ipsi manus intulit. *Alex. l.4. c.8. & Fulg. l.5. c.3.*

M. Antonius Triumvir, cùm Fulviam uxorem initio Triumviratus statim repudiasset, & Octaviam Augusti sororem duxisset: utramque tamen ob Cleopatram, cujus amore flagrabat, contempsit. Hinc causa belli civilis. *Volat. l.13. c.3. Anthrop. ex Plut. Antonio.*

C. Cæsar Caligula matrimonia contraxerit turpiùs, an dimiserit, an tenuerit, non est facilè discernere. Liviam Horestilam C. Pisoni nubentem, cùm ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit, quòd repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem contrà accumbentem, Noli uxorem meam premere: statimque è convivio abduxisse eam secum, & proximo die edixisse matrimonium sibi repertum exemplo Romuli, & Augusti. Lolliam Paulinam C. Memmio Regulo consulari, exercitos regenti nuptam, facta mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimè subitò ex provincia evocavit, ac perductam à marito conjunxit sibi, breviqueque missam fecit interdicto cujusquam in perpetuum coitu. *Dion, & Suetonius.* F

Domitianus Imp. Domitiam uxorem suam repudiavit propter admissum adulterium capto consilio de sententia Vitsi. Verùm mox cum nepte sua Julia tanquam cum uxore coire deprehensus est, propter quam potissimùm legitimam uxorem repudiasse dicitur. *Dion.*

Arviragus, Claudii Cæsaris benignitate Britanniæ regno potitus, Voadam conjugem, Caractaci Scotorum regis sororem (ex qua filium Guiderium, & duas filias susceperat) in vincula conjectam repudiavit: & Genissam nobilem Romanam sibi junxit, A. Plautii propræatoris Romani astu, ut sublata affinitate inter Arviragum, & Caractacum, Britannis auxiliorum à Scotis petendorum spes omnis adimeretur. Ea injuria Caractacus accensus, cum Britannis in Romanos conjurat. Clades magnæ ultrò, citroque illatæ. Arviragus ut domesticæ perfidiæ publicam adderet, quòd sociis armis Romanos de se licèt optimè meritos ex insula pelli posse speraret, ad Britannos defecit. Genissa nuncio accepto ex abortu periit. Claudius Imp. Vespasianum cum novis copiis in Britanniam mittens, magna strage confœderatos vicit. Arviragus se dedidit. Thar, Pictorum rex in acie occubuit. Caractacus vix fuga evasit, frustraque recollectis viribus, tandem ab Ostorio Scapula captus Romam missus, clementia Imper. vitam cum regno recepit. *H. Boeth. lib.3.* G

Constantinus Irenes filius, cùm quæreret causam ad repudiandam uxorem Mariam, & aliam ducendam: finxit sibi ab uxorem paratum esse venenum, quod ipse tamen subornaverat. *Ignat. in vita Tarasii.* H

Lotharius Rex Lotharingiæ Tiethergam uxorem, Huberti Abbatis sororem, repudiavit, Uvaldradam pellicem superincens. *Sigebert. in Chron.*

An. 1086. Philippus Francorum Rex, Bertham Balduini Comitis Hollandiæ filiam repudiavit, ex qua liberos susceperat, Ludovicum Crassum, & Constantiam: à seque illam ablegavit Montrolium maritimum oppidum: in cujus locum Bertradam pellicem à marito Fulcone Aspero Andegavensium comite abductam publicè accepit: cujus amore adeò oecæcatus fuit, ut gravissima quæque totius regni ad illius arbitrium libidinem regerentur. Adulterii tempore Philippũ Florum, & Cæciliam liberos suscepit. Nec posteà Bertham revocasset, nisi summi Pontifices Urbanus, & Paschalis illi aqua, & igni interdixissent. *Chron. Francorum.*

Henricus IV. Imp. cùm acerbum in Adeleidem conjugem Rufcorum Regis F. odium concepisset, in carcerem conditam omni contumeliarum genere afficiendam ad prope lacerandam susceperat. Itaque ad cætera illata probra cùm Nicolai-
A tarum more multis eam stuprandam prostravisset, idem Conrado etiam filio ut faceret, imperavit: addidit inde flagitio contumeliam: Conradum scelere se tanto obstringere recusantem, ira, odioque accensus, filium suum esse negavit. His de rebus Adeleis cùm forte pavens è carcere evasisset, ad Mathildem Lombardiæ, & Tusciæ principem, Henrici hostem, in Italiam se recepit, ac supplex miseriæ suæ subsidium imploravit. Mathildis benignè exceptam Urbano II. Pontifici commendavit. Urbanus verbis mulierem consolatus, atque ut in monasterium iniret hortatus, remisit domum, atque eo etiam nomine Henricum Imp. è numero amovit priorum. Conradus similiter patre relicto ad Mathildem, Urbanumque se contulit, & noxa paterna solutus, & ipsius Urbani auctoritate regnum adversus patrem in Lombardia suscepit: idque summa cum omnium gratia per novem deinde annos administravit, ac Rogerii Siciliæ Ducis filiam sibi matrimonio junxit. Ad animi virtutes ingentes decora etiam corporis forma accesserat, quæ ipsum impensiùs quoque populis commendavit. Ita verò adversùs patrem regnavit, ut tamen cum semper regem, ac dominum suum vocarit. *Sigon. l.9. regni Ital. ex Dodechino, & Helmodo.*

B ODOACER Rex Boemiæ, legitima conjuge repudiata, aliam duxerat ex Ungaria. Qua de re in iram versus Otho Misnensis Marchio, frater repudiatæ, & dux Saxoniæ Bernardus, Philippo regi Germanorum conjunctissimi, effecerunt, ut Odoacro adultero regnum ademptum traderetur Theobaldo puero, Theobaldi filio, qui literas Magdeburgi discebat. Tulit eam rem indignissimè Rex, & Hermanno Turingiæ Landgravio fœderatus, in Philippum pariter versus, ad Othonem IV. æmulum transivit. *Crantz. lib. 7. Saxon. cap.16.*

Beatrix Aragonia, Mathiæ Corvini Hungarorum regis vidua, Uladislaum Boemiæ regem ad regnum quoque Hungariæ promoverat, spe conjugii facta. Regno verò potitus, Alberto fratre, Joanne Hunniade spurio, & Maximiliano Cæsare æmulis profligatis, quantumvis sæpè interpellatus fidem datam servare neglexit, sterilitatis prætextu Romam proinde à Beatrice in jus vocatus, dum ibi consuetudine Romana causa de anno in annum diù ampliatur, extremum multo auro redempta dicitur, ut Uladislao aliam quamcunque ducere uxorem liceret. Duxit autem apud Vasconeс, filiam Herois de Gandala, cui nomen Annæ fuerat. *Dubr. l.31.* G

SUPERINDUCTIONE ALTERIUS, SIVE *Pellicis.*

C DAPHNIM bubulcum alii perhibent in deliciis Mercurio fuisse, alii filium, nonemque ex eventis invenisse: dicitur enim natus ex Nympha: & postquam in lucem esset editus, sub lauro expositus. Boves verò, quas pavit, ajunt sorores fuisse boum Solis, quarum in Odyssea mentionem facit Homerus. Cùm autem in Sicilia pasceret Daphnis, una ex Nymphis eum amare cœpit: pactumque iniverunt, ut ad nullam aliam accederet: alioquin enim in fatis esse minata est ut oculis caperetur, si fuisset ea transgressus. Aliquibus diebus post, cùm regis filia deperiret eum, vino inebriatus, violavit fidem, & cum puella commercium agitavit. Hinc Bucolica primùm cantari cœpta sunt, quibus hoc oculorum Daphnidis incommodum materiam dedit. Primus id genus carmina Stesichorus Himeræus scripsisse traditur. *Ælian. de Varia histor. lib.10.* H

D *Uxoris.*

Cùm obiisset Fridericus Dux Austriæ sine liberis, soror Margarita hæreditatem accepit. Nupserat hæc olim Henrico Imperatori, Friderici II. filio, eoque sine sobole vita functo in patriam redierat. Eadem jam anus Othocarum Boemiæ regem sibi virum adscivit, qui non tam conjugis ætatem, quam dotem animo volvens, sterile matrimonium contraxit, & principatum nobilem consecutus, quanto plura possedit, tanto majora concupivit. Quin etiam vivente legitima uxore, per quam tantum imperium pepererat, alteram superduxit Cunigundam regis Maschoriæ filiam, ex qua S. Venceslaum filium suscepit. *Æneas Sylvius in hist. Boem. c.27.*

JACOBUS Fortunatus, Aragonum Rex octavus, adolescens adhuc, puellam quandam adamavit nomine Tiresiam, Joannis Bidauræ filiam. Quam cùm neque blanditiis ullis, neque muneribus allicere posset, nocte quadam in domum patris puellæ se contulit, ibique latuit. Post mediam noctem cunctis jam dormientibus puellæ cubiculum ingressus, ad eam tandem pervenit. Quæ eum nullo modo admittere voluit, nisi conjugium promitteret. Ille amoris stimulis agitatus, viro quodam adhibito, qui eum observabat, Tiresiæ fidem conjugii dedit, & ex ea duos filios progenuit. Cæterùm post à quibusdam persuasus, ut Alphonsi Castellæ Regis filiam duceret, legatos eò misit ad matrimonium conficiendum. At Tiresia statim procuratores in Castellam misit, qui die sponsaliorum matrimonium Jacobi cum Tiresia factum publicè denunciarent. Hinc sibi metuens à Rege, parvo comitatu Romam se contulit, & Regi literas citatorias misit, ad causam pacti matrimonii coram summo Pontifice disputandum. Pontifex partibus auditis, cùm Tiresia sine testibus (nam miles unicus, qui jurejurando Regis interfuerant, è vita discesserat) matrimonium sola probare non posset, Jacobo Regi permisit, ut cum Leonora Castellæ Regis filia matrimonium contraheret. *Marineus lib.10. rerum Hispanicarum.* E

DESERTIONE.

Ariadna Theseum secuta, ab eo in Naxo insula relicta est, cùm Æglen quandam amare cœpisset, ut Hesiodi carmen demonstrat. Qui eam in Naxo relictam scribunt, nupsisse ajunt Ariadnam Onaro, qui sacerdos fuit Bachi: unde videri possunt Poetæ fabulandi materiam sumpsisse, qui eam à Baccho raptam, cœloque illatam prodidere. *Sab. lib.6. Æn.1.* F

Capta à Rom. Carthagine erat Æsculapii templum in arce opulentissimum. Hinc supplices ad Scipionem venere, qui rogarunt, ut iis, qui ex Byrsa excedere statuissent, salutem donaret. Concessit id Rom. Imp. omnibus, præterquam transfugis. Hasdrubal Dux cum uxore, & liberis, & nongentis transfugis desperata venia templum nonnihil tutaui sunt. Demùm omnibus fame, vigiliis, labore fossis, Hasdrubal occultè ad Scipionem transfugit. Quem ubi, qui in templo erant, ante pedes ducis constitutum viderunt, ejus perfidiam execrari, ædem incenderunt, Hasdrubalis uxor, cùm sese quantum in eo rerum tumultu, & ultima desperatione potuit exornasset, ex adverso hostium summo fastigio templi constitit, duobus filiis ante pedes constitutis. Ibi alta voce Hasdrubalem, ut patriæ, conjugis, liberorum proditorem insectata, ambos filios in conspectu patris, & Romani exercitus obtruncavit, seque cum illis subjectam dejecit in flammam. *Sabell. lib.9. Enn.5. & l. 4. c.7. Exemplor. & Fulgosus lib.9. c.13.*

## SERVI PERFIDI ERGA DOMINOS, PER INOBEDIENTIAM.

AGAR Ægyptia ancilla Abrahæ, cùm permittente Sara ex Abraham Ismaelem concepisset, cœpit heram suam contemnere. At Sara vicissim eam tanquam servam dolo expulit, angelus tamen Domini Agar consolatus, ad dominum redire jussit. *Gen.16.*

## IMPERIUM IN DOMINOS.

SERVI IMPERIOSI.

SERVI Volsiniensium invadunt dominatum. *Vide Tit. Voluptatibus omnis generis dediti.*

Claudius Imper. Libertorum imperiis (teste Aurelio) ita sub ectus fuit, ut Claudium Eclicem Pallantis fratrem legionibus Judææ præfecerit. Ad quem præsidem Paulum fuisse perductum, in Actis legimus Apostolorum. Posidi eunucho, post triumphum Britannicum, inter militarium fortissimos, arma insignia tanquam participi victoriæ dono dedit, hastaque pura donavit. Polybium inter Consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominum se gerens ipsius domini, Pallasque prætoriis ornamentis sublimatus: adeòque dives, ut causante eo inopiam fisci, lepidissimè famoso elogio vulgatum sit, abundè ei pecuniam fore, si à duobus liberis in societatem reciperetur. His itaque addictus, non principem se, sed ministrum egit: horumque studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est. Et, ut Sextus inquit, liberti summam potestatem adepti, stupris, exilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabant. *Cusp. A. D.*

REBELLIONEM, BELLA SERVILIA.

Scythæ in Asia bellum gerebant. Interea temporis Scythiades ex servis liberos procreaverant. Servi reversos dominos recipere noluerunt, bellumque constatum est. Servi instructa acie dominis obviàm progrediebantur armati. Scytha quidam metuens, ne ex desperatione prælium committerent, suis consilium dedit, ut arma, & arcus deponerent, flagellisque proten-

protensis obviam servis irent. Qui cùm extensis flagellis im-
A petum facerent, illi conscientia servitutis stimulati, repentè se fugæ mandarunt. *Polyænus l.7. & Herod. l.4.*

Argivorum servi contra filios heriles bellum movent. *Vide Tit. Urbes desolatæ.*

Cùm Spatta terræ motu fœdè disiecta esset, Helotæ, captivi scilicet Messenii, publicæ operæ, in Ithomen montem secesserunt. Lacedæmonii ab Athenienfibus auxilia petierunt. Missus est Cimon Milciadis F. cum lecta manu. Sed Lacedæmonii, cùm eos suspectos haberent, domum remiserunt. Ea injuria accensi Athenienses, cum Argivis Lacedæmoniorum hostibus fœdus fecerunt. Decimo vis tandem anno servi fuint domiti. *Diod. l.11. & Pausan. in Atticis.*

In Chio insula servus quidam, Primacus nomine, fugitivus in montes, servorum dux declaratus est. Multis ultrò citroque datis, & acceptis cladibus, tandem fœdus initum. Ipse mensuras, pondera, ac sigillum proprium fecit, eaque Chiis ostentans; Sumam his mensuris, ac ponderibus, inquit, ea, quibus opus habuero, hocque sigillo pretium obsignatum deponam. Servorum autem veitrum fugientium causas dijudicabo: si intolerabile quid perpessi videbuntur quare aufugerint, eos mecum retinebo: si nihil justum com-
B prehendero, eos rursus dominis restituam. Cùm reliqui servi Chios promptè conditionem complexos esse cognovissent, multò pauciores aufugiebant, timentes illius judicium. Qui verò fugitivi erant cum illo, multò magis illum timebant quàm suos dominos, omniaque illi, quæ conveniebant, veluti exercitus Imperatori obedientes ministrabant. Castigabat eos, qui minùs ordinatè quid facerent, neque ullum aut agrum prædari, aut injustum aliud agere patiebatur, sine ipsius imperio. Capiebat ex hostico placidè vinum, victimasque, ac quæcunque domini darent. Si quem verò sibi insidiantem, vel fraudes subtendentem sensisset, continuò puniebat. Edictum posteà fecit civitas, se multos nummos ei daturum, qui aut illum comprehenderet, aut caput ejus afferret. Primacus ergo jam senex amasium suum se interficere, & capite Chiis oblato mercedem accipere jussit, renuentem coegit, tantoperè illum amabat. Chii ab aliis rursus servis injuria affecti, deprædationesque passi, mansuetudinis illius mortui recordati, heroicam statuam illi in regione ere-
C xerunt, ac Benigni Herois nominarunt, eidemque nunc etiam fugitivi primitias omnium rerum offerunt, quas capiunt. Referunt, hunc etiam compluribus Chiorum per somnum apparuisse, servorumque insidias significasse, Quibus verò apparuit, hunc in locum, ubi illius simulachrum est erectum, venientes sacrificant. *Athenæus l.6. cap.7. ex Nymphodoro.*

Possidonius Athenienfium servos defecisse à dominis narrat, atque omnes metallorum custodes interemisse, arcemque Sunii occupasse, ac diù devastasse Atticam regionem. Erat autem id tempus, quo secunda servorum rebellio facta fuit in Sicilia, multæque, & aliæ rebelliones fuerunt, in quibus mortuæ sunt plures quàm centum servorum myriades: atque de bellis servilibus commentarium extat à Cœlio rhetore editum. *Athen. lib.6. c.7.*

Plebe Romana ob legem agrariam cum patriciis decertante, Exules, servique ad quatuor millia, Appio Herdonio duce, Capitolium, & arcem noctu occupavere. Erat is Sabini generis, nec obscuris ortus natalibus, dubium, ut ipse tyranni-
D dem exerceret, an ut Romano principatu sublato, in Sabinos caput, & arcem imperii transferri vellet. Cædes in arce per noctem edita: & ad arma repentè conclamatum. Ubi illuxit, Herdonius ex Capitolio servitia ad libertatem vocabat, qui ut ipse clarè prædicabat, miserrimi cujusque caufam suscepisset, ut exules injuria pulsos in patriam reduceret. Servi igitur domi, & hostes foris timebantur, ne Volsci, & Æqui, quorum in Romanos odio nulli ad id tempus ignota erant, aut cæteri finitimi, qui & ipsi Romanos insensè oderant, præsentem occasionem nacti magno Reipublicæ periculo, parte civitatis capta, legiones portis admoverent. Interea tantus furor tribunos tenuit, ut non id bellum esse contenderent, sed unam belli imaginem ad avertendos à legislatione plebis animos, patriciorum hospites, clientesque arcem insedisse: quippe qui perlata lege, sua sponte essent inde abituri, concilium inde perferendæ legi cogebant, plebe ab armis aversa. L. Manilius Tusculanorum Dictator, suis auctor fuit, ne expectarent dum ab urbe Roma auxilium legati petitum venirent, nunquam majorem occasionem Romani nominis demerendi Tusculano affuturam. Romam prima luce itur. Præbuit agmen procul conspectam hostium speciem, Volsci, Æquique venire primò crediti sunt: ubi verò qui essent, cognitum est, in urbem accepti in forum, sub signis descendere. P. Val. Consul, collega ad portarum præsidia relicto, ipse in foro aciem instruit, pollicitus Capitolio recuperato, ubi demonstrasset quid fraudis in lege esset, se consilium plebis non impediturum. Tum tribunis nequaquam reclamantibus, multitudo consulem secuta est. In capitolinum clivum acies dirigitur, adjungitur Tusculana lege certare inter se cives, sociique, utri recuperatæ arcis laus deberetur. Valerius inter primores prælium ciens, supernè ictus concidit. Tanto ardore, impetuque res gesta est, ut priùs miles vicerit, quàm se sine duce pugnare senserit. Plerique exulum sua ipsi cæde templum fœdavere, quidam vivi capti. Herdonius telorum multitudine obrutus, fortiter pugnando occubuit. Atque in hunc maximè modum Capitolium recuperari contigit. De captivis sumptum est supplicium. Tusculani ut focii fidelissimi laudati. *Sab. lib.3. Enn.3.*

Quadringenti servi apud Ennenses in Sicilia, duce Euno Siro divinitatem affectante, & futura prædicente, contra dominos suos rebellarunt, Damophili, & Megaclidis ejus uxoris crudelitate accensi. Itaque facta manu Damophilum ex suburbanis hortis unà cum uxore rusticantem in urbem protraxerunt, variis in via contumeliis affectos. Ipsum in theatro servi occiderunt, Megaclidem miserè cruciatam præcipitarunt servæ. Soli filiæ pepercerunt, ob humanos mores, & animum ad commiserationem erga servos propensum. Quod quidem argumentum fuit, servos non crudelitate naturæ talia perpetrare in alios, sed illatas sibi injurias ulciscentes. Ex Ennensibus omnes interfecere, qui fabricationis armorum imperiti erant: peritos autem, vinctos operi faciendo addixere. Eunus quoque proprios occidit dominos, Antigenem, & Pythonem. Tandem imposito capiti diademate, rebusque suis omnibus regali splendore ordinatis, sua item uxore (quæ & ipsa Syra erat, ejusque civis) declarata regina, ex eorum numero, qui prudentia cæteris antecellere videbantur, aliquot sibi consiliarios delegit. Ex quibus erat Achæus, non tantùm nomine, sed & natione, Achæus: qui cùm trium dierum spatio sex hominum armasset millia, totam regionem prædas agens peragrabat. Ut etiam Romanorum Imperatores bello ausus fuerit lacessere, plusquam decem hominum millia ducens. Intra Cilix quidam, G
Cleon nomine, defectionis aliorum servorum auctor fuit, & Euno cum quinque millibus se subjecit. Non multo post commissa pugna cum Imp. Lucio Hipsęo Roma veniente cum octo millibus Siculorum militum: victoria potiti sunt servi, ut pote qui viginti millia essent. Aliquanto post autem eorum numerus usque ad centum millia crevit: cùmque adversùs Romanos prælia subinde gererent, sæpè ex iis gloriam reportabant: Cujus rei cùm dissipatus esset rumor, jam servi quinquaginta Romæ conspiratione inter se facta, ad defectionem incensi erant, in Attica autem plusquam mille: itidem verò apud Delum, multisque aliis in locis. Sed tumultus ibi tum sopitus est. Cleone tandem cæso in acie, Eunus assumptis stipatoribus sexcentis, ad loca prærupta, ut erat ignavus, fuga se recepit. Sed qui cum eo erant, exitium inevitabile sibi impendere scientes (jam enim Rutilius Imperat. ad eos contendebat) ut hostiles manus prævenirent, sibi mutuò cervices abscindebant. Eunus in spelunca confugiens, unà cum quatuor ex suis inde extractus (coquo, pistore, & eo, cujus manu in balneo fricabatur: quarto autem eo qui inter epulas ob- H
lectamenta ei afferebat) & in carcerem conjectus, in magnam pediculorum vim resoluto corpore, apud Morgantinam dignum suis temerariis ausis nactus est vitæ exitum. Rutilius, tota Sicilia cum parva eaque selecta manu celeriùs omnium spe peragrata, à prædonibus eam omnino liberavit. *Diodorus Siculus lib.34.*

Bello Cimbrico rebellantium servorum tumultus varii in Italia excitati fuerant, sed parvi, ac minimè diuturni: velut numine, quàm atrox futura esset in Sicilia rebellio, præsignificante. Primùm apud Nuceriam triginta servi conjuratione facta pœnas dedere. Capuæ ducenti servi rebellantes, sine mora delecti sunt. Tertius tumultus miro quodam exortus est modo. Erat quidam Titus Minutius, eques Romanus, prædivite natus patre, qui alienæ famulæ amore captus, ut in ejus amplexum veniret, effecit. Tandem verò eam à domino septem talentis Atticis emit, die persolvendo pretio constitutà. Illa ubi advenit, is, quòd solvendo non esset, ut sibi dies triginta prorogarentur, obtinuit. Rursum & hoc spatio exacto, cùm dominus pactum pretium exigeret, neque hic ullam solvendi nominis ratio-



nem inire posset, interea verò amor invalesceret:
A coemptis quingentis armaturis, fideque impetrata, eas clanculum in argum deferendas curavit. Deinde cùm suos ipsius servos sollicitasset ad defectionem, numero quadringentos, sibique diadema imposuisset, purpuram quoque cum aliis insignibus regiis assumpsisset, tandemque servorum auxilio regem se constituisset: primùm quidem eos, qui pactum pretium exigebant, virgis cæsos securi percussit: posteà verò, cùm sua illa servitia armasset, vicinas villas peragrare placuit: in quibus eos, qui se prompto, & alacri animo socios defectionis adjungebant, armabat: quotquot autem repugnabant, eos interficiebat. Missus contra illum (tria servorum millia, & D. sub signis habentem) L. Lucullus, qui largitionibus, & impunitate promissa Apollonio Imperatori servilis exercitus, ad prodendos cum socios compulit. Omnes itaque defectionis participes cæsi fuerunt, præter eum, qui illos prodiderat Apollonium. Et hæc quidem anteverterunt maximam, quæ in Sicilia contigit, defectionem, quasi quæ ejus quoddam præludium essent. Ea autem hinc orta est. In Marii adversùs Cimbros expeditione Senatus auxilia ex transmarinis nationibus accersenti potestatem Mario
B dederat. Marius igitur ad Nicomedem Bithyniæ regem de mittendis ad se auxiliaribus copiis scribit. Is responsum dat, bonam Bithynorum partem à vectigalium publicorum redemptoribus direptam, servire servitutem per provincias. Cùm autem senatusconsultum esset, ne quis ex populi Romani sociis, qui quidem liber esset, in provincia ulla serviret, & ut Imperatores curam eorum manumittendorum gererent: accidit, ut imperator Licinius Nerva, qui tum fortè in Sicilia erat, decretum Senatus observans, multos ex servis judiciis constitutis manumitteret, adeò ut intra paucos dies plures octingentis in libertatem assererentur. Jamque erant animi omnium illius insulæ servorum in spem libertatis erecti, cùm graves auctoritate viri ad ipsum Imperatorem convenium, eumque uno omnes ore, ut ab incœpto desistat, rogant. At hic sive pecuniis expugnatus, sive gratiam aucupatus, judicium hac de re accuratius exercere desiit: & ad se venientibus, ut libertate donarentur, ut ad suum quisque dominum revertereturt, imperare cœpit. Tum verò servi coitione facta Syracusas relinquere, & ad Palicorum delubrum confugere,
C ibique inter se de defectione sermones conferre. Fama autem hujusce tam audacis servorum facinoris per diversa loca jam vulgata, primi se in libertatem vindicarunt triginta duorum ditissimorum fratrum servi: quorum dux erat quidam nomine Oarius. Hi primùm suos heros noctu dormientes jugularunt: deinde ad vicinas etiam progressi villas, servorum animos ad libertatis studium accenderunt: adeò ut illa ipsa nocte concursus ad eos factus sit aliorum centum, & viginti, atque ampliùs. Hi occupato loco natura munito, arte haud paulò munitiorem reddiderunt: assumptis & aliis octoginta servis, qui armati erant. Licinius Nerva cum aperta vi non posset, proditione per C. Titinium ducem servorum castellum occupavit. Sic seditio prima compressa. Interea 80. servi P. Clodium equitem Roman. interfecere, factaque manu, Regem crearunt Salvium quendam, qui arupiscinæ peritus habebatur, & in mulierum corona cantu tibiarum ad insaniam usque perstrepere solitus erat. Hic regnum adeptus, urbium desidiam, mollitiemque vitandas judicans, defectoribus tres in partes divisis, totidemque ducibus unicuique parti attributis, effusis populationibus
D peragrare regionem totam, omnesque certum ad locum certoque tempore remeare imperavit. Illi cùm aliorum animalium, tum verò equorum copiam suis excursionibus adepti, brevi peditum viginti millia, equitum duo effecerunt: idque hominum, qui jam tyrocinium non fine summa laude posuerant. Hi Morgantinam obsidentes, Nervam justa acie vicerunt. Simul etiam apud Ægestanos, & Lilybæenses eadem defectio per servorum greges serpebat, duce Athenione Cilice. Hic cùm res domesticas duorum opulentissimorum fratrum dispensaret, & ejus quæ sit ex astris divinationis peritissimus esset, servos in suam sententiam pertraxit, primùm quidem eos, quos sub potestate habebat, numero circiter ducentos: posteà verò & vicinos, adeò ut quinque dierum spatio mille, & ampliùs congregarentur. Ab his rex creatus, impositoque capiti diademate, non omnes, quotquot deficiebant, recipiebat, sed ex iis strenuissimos quosque in suorum militum numerum allegens, reliquos cogebat, repetitis pristinis opificiis, unumquemque eundem, quem anteà locum tenere, & quarum rerum dispensatio esset ejus officii, eam studiosè suscipere. Qua ex re largum etiam comparabat suis commeatum. Porrò E
fingebat deos per astra futurum se universæ Siciliæ regem præsignificare: ideòque oportere tam ipsi regioni, quàm animalibus, & fructibus, qui in ea essent, tanquam propriis parcere: Tandem verò cùm x. millia hominum coegisset, Lilybæum inexpugnabilem urbem obsidere est ausus. Sed se operam perdere animadvertens, obsidionem tanquam deorum imperio solvit. Cùm igitur ab urbe recedere pararet, appulerunt naves, quædam delectam Mauruforum advehentes manum, auxilio Lilybæensibus missam: cui præerat quidam nomine Gomon. Hic cùm suis noctu Athenionem adortus, cùm multos iter facientes prostrasset, ad urbem pedem retulit. Quare illa Athenionis ex astris vaticinatio in pretio, & admiratione erat. Interea autem valdè confusus erat rerum Siciliæ status. Neque enim servi duntaxat, sed etiam ex liberis hominibus ii, qui egestate premebantur, omne latrocinii, flagitiique genus exercebant. Ac ne quis hanc perditam eorum nequitiam nunciare posset, obvium quemlibet, servum pariter, & ingenuum trucidabant. Salvius in Leontinis recensito exercitu, xxx. millia selectorum habuit militum, & regis ascito nomine, pro Salvio Try- F
phon dici voluit. Ei tanquam regi præter omnium spem se se conjunxit Athenio: quem ille metu insidiarum in carcerem conjecit. Triocala urbem munitissimam occupavit, & pro regia sua habuit. Ex prudentissimis consiliarios elegit. Jam verò & toga prætexta, tunicaque lati clavi amictus jus reddebat, lictoresque illi cum securibus præibant: quæ denique regiam dignitatem efficiunt, & quæ ornant, ea omnia confectabatur. Imperatorem adversùs defectores Senatus Roman. delegit L. Licinium Lucullum cum XVIM. Trypho culpam Athenioni condonans, ad deliberatorem de bello in Rom. gerendo eum adhibuit, & Tryphonis quidem consilium erat, ut in castello ipso Triocalis manentes, inde pugnam committeret: Athenio autem auctor erat, ne seipsos obsidione circumcludi paterentur, sed potiùs in aperto campo dimicarent. Itaque propè Scrithæam castrametati sunt, XLM. non pauciores. Cùm tandem diu ancipiti marte pugnatum esset, Athenio genu utroque vulneratus, posteà & tertio vulnere accepto, pugnæ inutilis esse desiit. Quamobrem fugitivi animum despondentes, fugæ se dederunt. Athenio cùm mortuus crederetur, latitavit: & simulata ali- G
quantisper morte, cùm primùm nox advenit, fuga sibi salutem petebat. Servorum cæsa XXM. Adeò autem abjecerant animos servi, ut etiam de redeundo ad dominos, seque eorum potestati committendo deliberatio ab iis proposita fuerit. Eorum tamen vicit sententia, qui auctores erant, ut ad extremum usque spiritum dimicarent, nec ipsi seipsos prodentes in manu hostium traderent. Triocala obsedit Lucullus frustrà, itaque Romæ mulctam fubiit C. Servilius, qui Lucullo successit, cum Athenioni, qui Tryphone mortuo Rex dictus est, non resisteret præ ignavia, exilio mulctatus est. C. Acilius tandem interfecit Athenionem, & reliquias belli persecutus, mille servos, quorum dux erat Satyrus, cùm legatis missis se dedissent, in præsens, quidem pœnam remisit, sed Romam abductos cum bestiis commisit. Ubi proditum est à quibusdam eos maxima cum laude vitam finivisse. Nam certamen cum bestiis detrectasse, & ad publicas aras mutuis vulneribus occubuisse, cumque ultimum ex iis ipse Satyrus interfecisset, cum post reliquos omnes sibi manus attulisse. Bellum igitur servile in Sicilia cùm annos durasset pro- H
pemodum quatuor, hunc verè tragicum exitum habuit. *Diod. l.36.*

Medio Sertoriani belli ardore inopinatum, & atrox periculum Roman. Pop. est ex servitiis ortum. Nutriebat Capuæ Lentulus quidam Bartiatus (vel Batiatus) grandem familiam ad gladiaturæ usum, erantque plurimi Galatæ, aut Thraces. Ex his plerique laniftæ sævitiam pertæsi, cùm fugiendi consilium cepissent, indicio proditi, cæteris metu implicitis duo, & octoginta fugam expedivere. Alii septuaginta scribunt. Horum princeps Spartacus fuit, Thrax genere, viribus, & audacia inter suos longè princeps. Is cùm primùm venalis est Romam ductus, draco in spiram convolutus ad quiescentis caput apparuit. Quod prodigium saga mulier intuita, formidabilem in homine potentiam portendi dixit, sed quæ infelicem habitura esset exitum. Primò itaque ex Capua Vesuvium Spartacus occupavit, quò brevi ad decem millia fugitivorum confluxere, (Athen. lib.6. c.7. ex Attica, quoque servos ad se traxisse scribit) & ex agris spe prædæ multi sese his ultrò agglomerant gla-

diatoriis armis ut inutilibus abjecta bellica induunt, partim A tim à viatoribus rapta, partim ex villis, vicisque contiguis quæsita. Montem inde arduum insident, circumquaque præterquam ab una parte, eaque perangusta altis rupibus præruptum, in eo præcipuè occupatis, ut armis corpora munirent, quorum inopia, quidam vimineos clypeos superinjecto corio texuere, latrocinari adhæc, atque ex proximo quærere sibi prædam. Hue primus omnium Claudius venit cum tribus millibus armatorum, quam manum ex agris, cùm ad eum motum opprimendum veniret tumultuosè conciverat. Appianus Varimum pro Claudio posuit. Is concluso montis aditu spem præceperat servilis manus illius brevi opprimendæ, ut sedendo fame domaret. Spartacus ubi omnem aliam ad evadendum viam sibi ab hoste septam conspexit, auctor fuit sociis, ut vitigineis restibus noctu sese ex rupibus ad imum demitterent: demissi, atque armis instructi Rom. stationem à tergo invadunt; Nec ibi ullum negotium victoriam retardavit. Fuga à Rom. facta, Spartacus castris potitur omnifariam commeatu refertis. Fama præclari hujus facinoris magnam vim fugitivorum ad Spartacum traxit; coire hue, & ingenuorum multi in horam, ut jam justo opus B esset exercitu ad inchoatum latrocinium opprimendum. P. igitur Vatinius, sive Vorenus (Plutarchus P. Varinum, Florus Q. Tarium habet) cum duobus legatis exercitum in Spartacum est ducere jussis. Qui acie cum eo congressus ne difficili quidem pugna victus est. Nec multò post & Cossinium proconsulem (Livius Cassium scribit) cum majoribus copiis missum hostis ex improviso adortus cum incautè circa Salinas lavaretur, parum abfuit, quin captum in suam potestatem redegerit. Cæterum Cossinius impedimentis exutus, incolumem inde exercitum duxit. Vatinius præterea levibus aliquot certaminibus fatigatus, uno ingenti prælio victus equum, & lictores amisit. Et jam ad LXX. millia armatorum Spartacus habebat, indiesque ejus opes invalescebant, cùm Romæ L. Gallus, & Cn. Lentulus consules facti sunt. Ad hostem profecti, Crisum unum ex Spartaci ducibus cum XXX. millibus armatorum circa Gargarum montem obvium habuere. Hic demùm hostis à duobus consulibus, duobusque exercitibus victus post tetram suorum cædem mortem occubuit. Ducere interim Spartacus per Apennini juga in Galliam abiturus, quem alter consulum post victoriam viarum compendio prä- C tervectus, atque fronte occurens instituto itinere avertit, nec collega procul aberat abeuntis vestigio insistens. Tum verò Spartacus necessitate adductus, utroque versum agmen convertit, duosque consules cum duobus consularibus exercitibus per partes vicit, victorque CCC. Romanorum captivos Criso immolavit. Inde præsenti successu elatus, cum ingenti exercitu Romam iter convertit. Cursu inde aversò Turium petiit: cui abeunti M. Licinius Crassus, tertio servilis belli anno Imperator ad id creatus, opportunè occurrsurus, Mummum (quidam Minutium pro Mumio scribunt) legatum præmittit, qui cum duabus legionibus abeuntem assecutus tutò ejus vestigio inhæreret, abstineretque interim ab omni certamine. Cæterum ferox ille ubi primùm est hostem adeptus, in pugnam temerè descendit. Hic quoque disjectæ, cæsæque sunt legiones Romanæ. Mumius ejus cladis auctor cum paucis ad Crassum reversus est. Ille legato graviter increpito, ex militibus decimum quemque sorte ductum capitali supplicio affecit. Milites iterum armans sponsores D exegit arma non amissuros, prælium commisit acerrimum, in quo duodecim millibus trecentis cæsis, solos duos invenit Crassus, qui aversa vulnera haberent, reliqui in acie omnes stantes, & dimicantes cum Romanis occubuere. Spartacum post horum cladem recipientem se ad montes Petilinos, Quintus Crassis legatus, & quæstor Scropha tergo inhærentes carpebant. Verum ubi ille agmen tandem convertit, fœdè fugerunt Romani, atque ægrè faucio erepto quæstore, incolumes evasere. Hæc victoria, quòd nimios spiritus fecisset fugitivis, perdidit Spartacum. Nolebant enim ultrà pugnam detrectare, neque ducibus dicto erant audientes: sed in itinere armis cunctos coegerunt retrò per Lucaniam ducere in Romanos, eodemque, quò Crassus properavere. Pluribus semper hinc inde affluentibus cernens Spartacus necessitatem, omnes copias explicavit. Primùm stricto gladio admotum equum (fatus victorem multos se, & eximios hostium equos habiturum: sin victus esset, non fore sibi eos opus) confodit. Deinde impressione facta per tela multa, & vulnera Crassum petens, illum non est assecutus: verùm duos centuriones, qui manus cum eo conseruere, interemit. Postremò effusis in fugam iis, qui circa eum erant, dum ipse locum tenet, & hostium globo cingitur, femore vulnerato in genu concidit, alteroque poplite demisso non- E nihil hostem à se clypei objectu distinuit. Ad postremum eo cadente, cætera multitudo multa cum strage fusa ad montes fugam intendit, ubi instaurato prælio ad unum sunt omnes cæsi, sex millibus exceptis, quos captos Romanus victor crucibus affixit. XL. millia eo die ex Spartaci exercitu Livius interfecta prodidit. *Sabell. lib.4. Enn.6. ex Plutarcho.* Appianus ait, Spartacum uno prælio victum ad mare contendisse, conatumque freto in Siciliam ratibus traiicere: sed à Crasso, qui præsto affuit, trajectu prohibitum, in pugnam descendisse, duobusque prælis, matutino uno, altero ad vesperam commisso, ad XX. latronum millia interfecta. Livius quinque, & XXX. prodidit, cùm ex Lucinianis tres duntaxat cecidissent.

Cùm imperium Occidentis obtineret Valentinianus III. in Gallia ulteriore, rustici, servique, Battone Duce, conspirant, à Romanis desciscunt, gravissimum excitant motum, Bagaudarum sibi nomen indunt. Factionis plebejæ id genus est, adversùs nobilitatis superbiam, luxum sacerdotum sæ- F vientis. Germani à calceamento rustico, Bundochucham vocitant. Ætius Dux Valentiniani, capto Battone, cæteris veniam dedit: auctores seditionis partim necavit, partim in vincula conjecit. Eudoxius Medicus Bagaudæ auctor primarius aufugit ad Hunnos. *Aventinus lib. 2. Annalium Bojorum. A. D.*

Anno Christi 337. Servi Dominis suis Sarmatis rebellarunt. Liberi Sarmatæ cum conjugibus, & liberis ad Victobalos confugiunt, & ab Constantio Imp. opem petunt. Promissum est auxilium, & Rex Ziza eis præfectus. Hunc brevi subsequutus Imp. ad Paihiscum amnem omnes exercitu suo circumfusos obtruncari jussit. Post hos domitos, & interneciones cæsos supererat adhuc pars servorum, Piscenses à loco dicti. Hi undique à Romanis, ac Sarmatis liberis circumdati, legatos ad Romana castra mittunt, qui deditionem faciant. Accepta publica fide, cum conjugibus, liberis, opibus translati sunt in Pannoniam, ut ibi tranquillè viverent. Nominatur adhuc ibi Servia locus, ubi consederunt. Illi tamen paulò post rebellantes, ad unum cæsi sunt. *Avent. lib.1. A. D.*

In Saxonia Liberti conspirantes contra dominos suos, arma ceperunt, freti occasione intestini belli inter Francos. Sed Lu- G dovicus rebus in Galliis nonnihil pacatis, in eos exercitum duxit: atque capitali supplicio seditiosos affecit, anno Domini 843. *Sigebertus.*

## CÆDEM.

*Consule Titul. Veneficorum: quatenus illic exempla habentur Medicorum, qui dominos suos (erant enim olim plerique servi, præter Asclepiadas) veneno sustulerunt.*

Gyges regius pastor in Lydia, cùm invenisset annulum, cujus beneficio à nullo videbatur, ipse autem cuncta videbat: trucidato Rege Candaule, reginæ stuprum intulit: eamque postquam compressisset, ea adjutrice Regem suum occidit, & ipse ex pastore Rex factus est. *Plato lib.2. de Repub. Diod. lib.3. Offic. Herodotus lib.* 1.

Sidonii Persarum bellis diù, varièque fatigati, victores quidem fuere, sed attritis viribus, à servis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt: qui conspiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti urbe lares dominorum occupant, rempublicam H invadunt, conjuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Unus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio senis dominii, parvulique filii ejus fortuna moveretur, dominosque non truci feritate, sed pia misericordiæ humanitate respiceret: Itaque cùm velut occisos occultasset, servisque de statu reipublicæ deliberantibus placuisset Regem ex corpore suo creari, cumque potissimùm, quasi acceptissimum diis, qui Solem Orientem primus vidisset: rem ad Stratonem (hoc enim illi nomen erat) dominum occulrè latentem detulit. Ab eo informatus, cùm medio noctis omnes in unum campum processissent, cæteris Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primùm aliis videri furor, in Occidente Solis ortum quærere. Ubi verò dies adventare cœpit, editissimisque culminibus urbis Oriens splendere, expectantibus aliis, ut ipsum Solem aspicerent, is primus omnium fulgorem Solis in summo fastigio civitatis ostendit. Non servilis ingenii ratio est visa, requirentibusque auctorem de domino confitetur. Tunc intellectum est, quanto dominorum ingenia præstarent, malitiaque servos non sapientia vincere. Igitur venia



nia seni, filioque data est, & velut nomine quodam reservatos A arbitrantes, regem Stratonem creaverunt. Post ejus mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes transiit. Alexander Magnus, cum interjecto tempore in Oriente bellum gereret, veluti ultor publicæ securitatis: expugnata eorum urbe, omnes, qui prælio superfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit: genus tantùm Stratonis inviolatum servavit, regnumque stirpi ejus restituit, ingenuis, & innoxiis incolis insulæ attributis, ut extirpato servili germine, genus urbis ex integro conderetur. *Justinus lib.*18.

Selinuntiis prælium adversùs Carthaginenses committentibus, multisque ex ipsis, qui occubuerant, jacentibus insepultis, quos instante hoste, nec sepelire poterant, nec insepultos relinquere volebant: captò consilio Theron petiit, ut triginta servi sibi darentur, qui ligna secare possent, se cum ipsis egressurum, & cadavera igni traditurum, & polyandrium erecturum. Laudarunt Selinuntii sententiam; eique concesserunt, ut servos, quos vellet, sumeret. Qui robustos, & florentes deligens, eduxit eos, & persuasit, ut dominis insidias struerent. Itaque sero vespere in urbem reversus, & à mœniorum custo- B dibus receptus, custodes ipsos trucidavit, & plurimis civibus in lectis interfectis, civitatem occupans, Selinuntiorum evasit tyrannus. *Polybius lib.* 1.

Lauda Pompeja, Insubriæ oppidum, Turrianis Mediolanensibus priùs paruerat. Bassanus Vestarinus populi consensu circa annum salutis 1321. princeps creatus. Cui Joannes Jacobus, & Succius Vestarini successerunt. Eos Petrus Terracollus ipsorum famulus, homo pari astutia, & audacia instructus, carcere inclusos, eodem famis supplicio, quo in alios sævire consueverant, necavit. *Corius in hist. Mediol. & Leander in Lombardia transpadana.*

Sub Eugenio IV. Angelottus sancti Marci presbyter Cardinalis, & vita, & fortunis, quas tanta cum aviditate aggregaverat, à suo Cubiculario privatus est. Captus sceleratus ille, ac variis cruciatibus necatus, quadrifariam divisus ad quatuor urbis portas suspensus fuit. *Platina.*

## INSIDIAS, CONJURATIONEM.

Posthumio Comminio, & T. Largio Coss. indicio est delatum, Servos quamplurimos in perniciem civitatis conju- C rasse, ut urbe pluribus locis noctu incensa, ipsi altiora civitatis loca occuparent. Consules consestim portas urbis claudi jubent, præsidiisque ad opportuna loca dispositis, quæstioneque de conjuratis habita, convictos sceleris, variisque cruciatibus affectos, ex Tarpejo saxo præcipitarunt. *Sabellicus lib.* 8. *Enneadis* 2.

Circa urbem Romam conjuratio Servorum non parvum civitati terrorem incussit. Hi Seciam, Norbam, & Circejos occupare constituerant. Id flagitium ad L. Cornelium Lentulum prætorem Urbanum indicio delatum, subitò ejus decursu capitibus conjurationis necatis, paucis est diebus oppressum. Consilium à servis Carthaginensium, qui obsides Seriæ custodiebantur, ortum ferebatur, atque ob eam rem Pœni per eos dies jussu patrum sunt intentuis, atque in privato observati. *Sabell. l. 6. Enn.*5.

Romæ Tribuni consulari potestate fuerunt, Sp. Nautius, P. Lucretius Tricipitinus, & Menenius Agrippa, cognomento Lanatus. His Rempublicam domi administrantibus (nam res foris pacatæ erant) Servitia urbem incendere destinarunt, civitateque præsenti clade occupata, Capitolium, & arcem in- D vadere. Conjuratione ad Tribunos indicio delata, sumptum est de fontibus supplicium. Libertas, & dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, indicibus data. *Sabellicus lib.*7. *Ennead.*3.

## ACCUSATIONEM FALSAM.

Siba famulus Mephiboseth filii regis Saul, cùm David rex (qui Mephiboseth omnes paternas facultates benignè condonarat) ab Absolon filio regno pulsus, Hierosolymis excederet, dominum suum claudum, cum duobus asinis commeatu instructis, Davidem comitari volentem reliquit, asinisque abactis, Davidem præproperè insecutus, Mephiboseth Hierosolymis occasionem regni arripiendi expectare falsò asseruit. David verum id esse putans: & simul Sibæ liberalitatem, atque fidem erga se commendans, ei omnes Mephiboseth tanquam hostis facultates donavit: quarum tamen dimidium Mephiboseth sese excusanti restituere fuit coactus. 2. *Reg.16. & 19.*

Cn. Domitius, cùm tribunus pl. M. Scaurum, principem civitatis in judicium populi vocavisset, Scaurique Servus ad eum clàm domum venisset, & crimina in dominum delatum se esse dixisset: comprehendi hominem jussit, ad E Scaurumque deduci. *Cicero pro Dejotaro, & Valer. lib. 6. cap.* 5.

## FUGAM. SERVI FUGITIVI.

Cùm Diogenes patriam relinqueret, unus ex servis eum secutus est, nomine Manes, qui non ferens ejus conservationem, aufugit. Cùmque Diogenem hortarentur aliqui, ut eum quæreret: An non, inquit, turpe esset, cùm Manes Diogenis non egeat, Diogenem Manis indigere? Verùm servus ille captus deinde, Delphoique abductus, à canibus dilaniatus est, fugæ pœnam hero persolvens. *Ælianus Variæ hist. lib.*13.

Servos fugitivos, scribit Pompejus Festus, Cervos nuncupari, de animalis celeritate facta nominis ratione. *Cælius l.*25. *cap.* 24. *A. L.*

## INTERVERSIONEM BONORUM.

Conturbatores servi veteribus dicebantur, qui domini pecuniam elidunt, ac reliquamenta subducunt, id est, partem servant sibi. Sic Alphenus de Institoria actione lege. Quacunque: Si quis pistor servum suum solitus fuit ad certum locum mittere ad panem vendendum, deinde conturbaverit. F *Cælius lib.* 25. *cap.* 25. *A. L.*

Dispensator ille iniquus in Evangelio. *Lucæ cap.*16. cùm malè domini sui bona administrasset, ut locum haberet in quo reciperetur, repulsus ab administratione illa, debitoribus domini sui convocatis, alteri quidem, qui c. olei batos debebat, 2. alteri verò, qui c. tritici batos, XX. remisit, ut hoc beneficio eos sibi obnoxios redderet. Laudavit autem Dominus dispensatoris iniqui prudentiam.

*Plautus in Truculento Actus* 2. *Scena* 7. furacis Servi rationes explicat.

—— *quandoquidem ipsus*
*Perditum se it: secretò hercle, quidem illum adjutabo, neque mea ille quidem*
*Opera unquam, nihilominùs properè, quàm potest, peribit.*
*Nam jam de hoc obsonio, de mina diminui modò quinque*
*Nummos, mihi detraxi partem herculaneam, nam hoc assimile est,*
*Quasi de fluvio, qui aquam derivat sibi, nisi derivetur tamen,*
*Omnis aqua abeat in mare. Nam hoc in mare abiit, miseréque* G
*Periit, sine bona omni gratia. Hæc cùm video fieri, suffuror,*
*Suppilo, de præda prædam capio.*

## PRODITIONEM.

Mirtillus Hippodamiam, Oenomai filiam, curruli certamine dimicantem prodidit, pacta mercede corruptus à Pelope.

Agrippa Herodis Magni nepos, quodam die dum unà in lectica gestatur cum Cajo, Tiberii nepote, incidit in confabulationem de Tiberio: & quia soli erant, precatus est Tiberio, ut quamprimùm principatus locum Cajo digniori cederet. Has voces excepit Eutichus, libertus Agrippæ, & auriga, ac tum quidem siluit. Insimulatus deinde à patrono quasi vestem ei furto subduxisset, sicut revera subduxerat, & ex fuga retractus, cùm perductus esset ad Pisonem urbis præfectum, rogatus fugæ causam, ait se habere secreta, quædamque cuperet indicare Cæsari, ad salutem ipsius pertinentia: quapropter vinctus missus est Capreas. Diù in vinculis detentus, urgente tandem Agrippa, & nihil tale suspicante, hæc ipsa domini verba Tiberio recenset. Tiberius Agrippam statim in vincula H duci jussit. Post mortem tandem Tiberii solutus est à Cajo. *Josephus lib.*18. *cap.*8. *Antiq.*

## DOMINI PERFIDI ERGA SERVOS.

### UT PUTA.

### CÆDE.

Nero Cæsar libertos divites, & senes, olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores, aquæ rectores veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit. *Suetonius.*

### VERBERIBUS.

Servilis belli in Sicilia principium fuit tale. Ennensis quidam nomine Damophilus, indignis modis suprà, quam credi possit, servos suos acceperat, ejus uxore Megallide certatim eos suppliciis variis afficiente, & omnem erga eos humanitatis sensum exuente. Exasperatis ergo, atque adeò efferatis eorum animis, in quos ita sævicbatur, in defectionem, & dominorum cædem inter se conjurant. *Vide Tit. præcedentem.*

### MUTILATIONE, EXCÆCATIONE.

Scithæ servos omnes excæcarunt. *Vid. Tit. Pastorum.*